


EPISTULA LEONINA

CCLXIX

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CCXXXIX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR: <https://ephemerisnuntii.eu/leonina.php/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS. ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM

DUCENTESIMAM UNDESEPTUAGESIMAM (269)

ARGUMENTA

PRAEFATIUNCULA.....	03-04
INCIPIT EXIRE QUI INCIPIT AMARE.....	05
ECCE BENEDICTUS XVI. PONTIFEX MAXIMUS A.2005-13.....	06
OBITUS, DEPOSITIO ET TUMULATIO BENEDICTI XV.....	07-10
EPISTOLIUM STEPHANI TERGESTINI.....	10
DE PONTIFICIA ACADEMIA LATINITATIS CONDENDA.....	11-15
RENUNTIATIO BENEDICTI XVI. LATINA (A.2013).....	16-17
EADEM RENUNTIATIO A VALAFRIDO RETRACTATA.....	18
TESTAMENTUM SPIRITUALE BENEDICTI XVI. (versio Latina,LL).....	19-21
OBITUARIUM PAPALE (Alexander Hippomylius – Ansgarius Osloensis).....	22-23
CHRONOGRAMMATA HERBERTIANA.....	24-33
RESPONSIO GAI LICOPPE AD SYMBOLAM PAULI KANGISER..	34-36
CHRONOGRAMMATA ROESSLERIANA.....	37-49
ECHUS VOCES EPISTULAE.....	50-68
<i>Alexander Hippomylius (50-51) – Ansgarius Osloensis (51-53) -</i>	
<i>Joannes Carolus Rossi (53-56) - Radulfus Bonaeropolitanus (57-58) -</i>	
<i>Logodaedalus (58-59) - Naevius Sartorius (59-64) – Gaius Licoppe (64-65) –</i>	
<i>Marcus Cristini (65) - Victorius Ciarrocchi (66) - Paulus Kangiser (66) –</i>	
<i>Urbanus Ferrarius Brasilianus (67-68)</i>	
LIBRI LEONIS LATINI.....	69-72

PRAEFATIUNCULA

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS
SAL.PL.DIC.

Cara Lectrix, Care Lector,

*iamiam praeteriit novi anni septimana prima.
Tempus fugit, fugit irreparabile tempus! Ut vales?
Utinam annum incohaveris ominibus quam
faustissimis! Salutem Tibi dico Teque invito ad hanc
Leoninam Epistulam perlustrandam. - Insunt
nonnullae symbolae, quas tibi haud iniucundas,
immo gratissimas fore vehementer spero. Ut bene scis,
die Papae Silvestri Papa Benedictus efflavit animam
suam Latinissimam. Cum sciam haud paucos
Latinitatis vivae defensores magni aestimare Benedicti
merita ad sermonem Latinum spectantia, omni quâ
par est observantiâ Tibi commendo verba Benedicti
XVI. Latina... necnon nonnullorum de eodem
Pontifice Maximo verba Latina. Utinam ne parvi
pendas Benedicti Testamentum Spirituale originaliter
theodiscê scriptum, quod Leo Latinus togâ ornavit.*

*Noli paginas Leoninas nimis properê oculis percurrens
negligenter praetermittere chronogrammata piê atque
artificiosê confecta. - Ergo multa huic Leoninae
Epistulae insunt pia et religiosa et christiana. Sed Leo
Latinus cum semper studeat audire etiam alteram
partem, valde gavisus est, quod Gaius Licoppe Belga*


Nestor Academiae Latinitati Fovendae, excellentem proposuit responsionem criticam ad symbolam Pauli Kangiser Chilianii illius Iacobopolitani polyhistoris theologiam splendidè scriptam. Uter horum virorum, qui ambo sunt Latinitatis vivae propugnatores optimè meriti, de Deo rebusque divinis nos doceat rectius et peritius et sapientius – hoc – ut verum confitear – nullo modo diiudicare ausim. At maximam vim attribuo summae libertati sententiam dicendi concedendae. Censura ne fiat! Audiatur et altera pars!

Ceterum intimo ex animo tibi suadeo, ut perlegas etiam epistulas et echûs voces mihi a lectoribus benignè oblatas, qui cogitationes commotionesque suas animorum exprimant Latinitate iucundissimâ...

Si ea scripta quae Leo togâ ornavit, haud aspernatus eris – »sublimi feriam sidera vertice«. – Cara Lectrix, care Lector, --- pancraticè valeas et pergas mihi favere. Medullitus te salutat...

Dr. Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae




<http://www.leolatinus.de/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae

Die Martis, 10. m.Ian. a.MMXXII



INCIPIIT EXIRE QUI INCIPIIT AMARE

AVGVSTINVS, Enarrationes in Psalmos LXIV,2.42-44

cfr Eric Voegelin, *The collected works of Eric Voegelin*, vol.12: *Published Essays 1966-1985*, Baton Rouge & London 1990, p.105: “According to St. Augustine, in man, in the soul, there are organizing centers. The two principal centers are the love of self and the love of God; these are the emotional orienting centers in the soul. Between these two centers there is continual tension: Man is always inclined to fall into the love of self and away from the love of God. On the other hand, he is always conscious that he should orient himself by the love of God, and he tries to do so in many instances. **Exodus** is defined by St. Augustine as **the tendency to abandon one’s entanglements with the world, to abandon the love of self, and to turn toward the love of God.** When the tension is strongest toward the love of God, then we find an exodus from the world. Here is a passage from the *Sermons on the Psalms*:

Incipit exire, qui incipit amare. Exeunt enim multi latenter, et exeuntium pedes sunt cordis affectus; exeunt autem de Babylonia.

(“They begin to depart who begin to love. Many there are who depart and not know it. For their walk of departure is a movement of the heart. And yet they depart from Babylon.”)

ECCE BENEDICTUS XVI.

PONTIFEX MAXIMUS A.2005-2013



Papa Benedictus XVI.
sive Joseph Aloisius Ratzinger
*d.16. m.Apr. a.1927 in *Marktl* vico Bavariae.
+d.31. m.Dec. 2022 in Civitate Vaticanâ.

OBITUS, DEPOSITIO ET TUMULATIO BENEDICTI XVI, PP. EMERITI, SANCTAE MEMORIAE

<https://press.vatican.va/content/salastampa/it/bollettino/pubblico/2023/01/05/0007/00018.html#lat>
Rogito per il Pio Transito di Sua Santità Benedetto XVI, Papa Emerito, 05.01.2023 [B0007] Testo in lingua latina

In lumine Christi a mortuis Resurgentis, die tricesimo primo mensis Decembris anno Domini bismillesimo vicesimo secundo, hora nona, triginta quattuor momentis elapsis, ante meridiem, dum annus ad finem vergebat et iam ad *Te Deum* canendum parati eramus propter diversa beneficia a Domino concessa, Ecclesiae dilectus Pastor emeritus, Benedictus XVI, de hoc mundo ad Patrem migravit. Eius transitum tota Ecclesia orans una cum Summo Pontifice Francisco comitata est.

Benedictus XVI ducentesimus sexagesimus quintus fuit Pontifex. Cuius memoria in universae Ecclesiae atque omnium hominum cordibus perseverans manet.

Iosephus Aloisius Ratzinger, die undevicesimo mensis Aprilis anno bismillesimo quinto Summus Pontifex electus, in vico v.d. *Marktl am Inn*, intra fines dioecesis Passaviensis, die decimo sexto mensis Aprilis anno millesimo nongentesimo vicesimo septimo ortus est. Pater eius munere publici ministri fungebatur, ex agricolarum Bavariae inferioris familia natus, cuius fortuna admodum erat exigua. Mater opificum de vico v.d. *Rimsting* ad lacum Chiemense erat filia, quae ante nuptias opus coquae varia apud deversoria exercuerat.

Infantiam et adolescentiam in vico v.d. *Traunstein* deguit¹, parvo oppido prope Austriae fines, quod triginta circiter chilometra a Salisburgo aberat, ubi institutione sua christiana, humana et culturali exornatus est.

Tempus iuventutis expeditum haud fluxit. Fides et institutio familiaris ad durum aerumnarum nazistarum regiminis tirocinium eum pararunt, in quo hostilem erga Ecclesiam catholicam animum in Germania cognovit. His in difficilibus adiunctis pulchritudinem et veritatem Christi fidei repperit.

Ab anno millesimo nongentesimo quadragesimo sexto ad annum millesimum nongentesimum quinquagesimum primum apud Scholam Superiorem Philosophiae et Theologiae Frisingensem et apud Universitatem Monacensem studia excoluit. Die undetricesimo mensis

¹ Forma perfecti solet esse ‚degit‘ (sine u).

Iunii anno millesimo nongentesimo quinquagesimo primo presbyteratu auctus est et subsequenti anno opus disciplinae in eadem Schola Frisingensi incepit tradendae. Deinde, magistri munere Bonnae, Monasterii, Tubingae et Ratisbonae est functus.

Anno millesimo nongentesimo sexagesimo secundo peritus officialis Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II factus est, uti Cardinalis Iosephi Frings adiutor.

Die vicesimo quinto mensis Martii anno millesimo nongentesimo septuagesimo septimo a Paulo Pp VI Archiepiscopus Monacensis et Frisingensis electus est et die duodetricesimo mensis Maii eiusdem anni ordinationem episcopalem recepit, sententiam sibi deligens «Cooperatores veritatis». Idem Pontifex in Consistorio die septimo et vicesimo mensis Iunii anno millesimo nongentesimo septuagesimo septimo habito in Patrum Cardinalium Collegium eum rettulit, tributo ei titulo Sanctae Mariae Consolatricis in regione Tiburtina.

Die vicesimo quinto mensis Novembris anno millesimo nongentesimo octogesimo primo Ioannes Paulus Pp II eum Congregationis pro Doctrina Fidei nominavit Praefectum et die decimo quinto mensis Februarii insequentis anni ¹pastorali Archidioecesis Monacensis et Frisingensis cura abdicavit.

Die sexto mensis Novembris anno millesimo nongentesimo nonagesimo octavo Collegii Patrum Cardinalium Decanus Vicarius factus est et die tricesimo mensis Novembris anno bismillesimo secundo Decanus, sumpto titulo Ecclesiae suburbicariae Ostiensis.

Feria sexta, die octavo mensis Aprilis anno bismillesimo quinto, Sanctae Missae in exsequiis Ioannis Pauli Pp II in Foro Petriano praesedit.

In Conclavi die undevicesimo mensis Aprilis anno bismillesimo quinto Summus Pontifex a Patribus Cardinalibus electus est atque ipse sibi nomen imposuit Benedictum XVI. E Porticu Benedictionum «humilem operarium in vinea Domini» sese descripsit.

Pontificatus sui fulcrum Benedictus Pp XVI propositum Dei et fidei posuit, necnon perseverantem vultus Domini Iesu Christi perquisitionem, ad cuius cognitionem omnes adiuvit opere potissimum suo, cui titulus *Iesus de Nazareth*, in tria volumina diviso. Ampla altaque doctrina biblica ac theologica praeditus, mira facultate enituit perspicua de summis capitibus doctrinae et spiritualitatis compendia concipiendi, sicut et de hodiernae aetatis vita Ecclesiae et humano cultu praecipuis.

¹ Recte: <a > pastorali ...abdicavit (cfr infra ep. p. Stephani Tergestini)

Dialogo cum anglicanis, iudaeis et aliarum religionum moderatoribus efficaciter favit, sicut et cum sacerdotibus e Communitate Sancti Pii X usus redintegavit.

Mane diei undecimi mensis Februarii anno bismillesimo decimo tertio in Consistorio pro ordinariis decretis circa tres causas canonizationis convocato, post votum Patrum Cardinalium, declarationem, quae sequitur, legit: «*Bene conscius sum hoc munus secundum suam essentiam spiritualem non solum agendo et loquendo exerceri debere, sed non minus patiundo et orando. Attamen in mundo nostri temporis rapidis mutationibus subiecto et quaestionibus magni ponderis pro vita fidei perturbato ad navem Sancti Petri gubernandam et ad annuntiandum Evangelium etiam vigor quidam corporis et animae necessarius est, qui ultimis mensibus in me modo tali minuitur, ut incapacitatem meam ad ministerium mihi commissum bene administrandum agnoscere debeam. Quapropter bene conscius ponderis huius actus plena libertate declaro me ministerio Episcopi Romae, Successoris Sancti Petri, mihi per manus Cardinalium die 19 aprilis MMV commissio renuntiare ita ut a die 28 februarii MMXIII, hora 20, sedes Romae, sedes Sancti Petri vacet et Conclave ad eligendum novum Summum Pontificem ab his quibus competit convocandum esse*».

In postrema Audientia Generali Pontificatus sui, die scilicet vicesimo septimo mensis Februarii anno bismillesimo decimo tertio, gratias omnibus et singulis agens etiam ob reverentiam et benevolentiam, quibus consilium eius receptum est, asseveravit: «*Iter Ecclesiae oratione ac meditatione comitari perseverabo, eodem Domini eiusque Sponsae studio, quod retinui hucusque cotidie et semper retinere velim*».

Post brevem commorationem in Palatio Arcis Gandulphi, postremos vitae annos in Civitate Vaticana degit, intra moenia monasterii Matris Ecclesiae, preci ac meditationi deditus.

Doctrinae magisterium Benedicti Pp XVI in tribus Litteris encyclicis *Deus caritas est* (diei vicesimi quinti mensis Decembris anni bismillesimi quinti), *Spe salvi* (diei tricesimi mensis Novembris anni bismillesimi septimi) et *Caritas in veritate* (diei undetricesimi mensis Iunii anni bismillesimi noni) expositum videtur. Ecclesiae quattuor Adhortationes Apostolicas tradidit, plurimas Constitutiones Apostolicas, Litteras Apostolicas, praeter catecheses in Audientiis Generalibus et Allocutionibus habitis, additis illis in viginti quattuor itineribus Apostolicis ubique per orbem pronuntiatis.

Coram relativismo et atheismo practico magis magisque irrepentibus, anno bismillesimo decimo Litteris Apostolicis Motu Proprio datis *Ubicumque et semper* Pontificium Consilium de Nova Evangelizatione promovenda instituit, cui omnia commisit quae ad catechesim attinet¹.

Clericorum crimina contra minores seu vulnerabiles firmiter oppugnavit, Ecclesiam iugiter ad conversionem, orationem, paenitentiam et purificationem revocans.

Theologus probatae auctoritatis, insigne patrimonium studiorum pervestigationumque de praecipuis institutis fidei reliquit.

**CORPUS
BENEDICTI XVI P.M.
VIXIT A. XCV M. VIII D. XV
ECCLESIAE UNIVERSAE PRÆFUIT A. VII M. X D. IX
A D. XIX M. APR. A. MMV AD D. XXVIII M. FEB. A. MMXIII
DECESSIT DIE XXXI M. DECEMBRIS ANNO DOMINI MMXXII
*Semper in Christo vivas, Pater Sancte!***

Celebrationum tumulationisque testes fuerunt

gregx@man.torun.pl Ad Gregem Torunensem Latinum STEPHANUS TERGESTINUS scripsit epistolium electronicum, q.i.: »**Latinitas Vaticana labans**«. **En lege emendationes Stephani:**

Stephanus Tergestinus gregalibus sal.

Raptim inspecto uitae curriculo ss. d. n. Benedicti papae XVI ad eius sepulturam conscripto haec tria menda inueni:

Infantiam et adolescentiam in vico v.d. *Traunstein* deguit [recte: degit, *deguisse* legitur semel tantum apud Faustum episcopum Reiensem, saec. V], parvo oppido prope Austriae fines, quod triginta circiter chilometra a Salisburgo aberat, ubi institutione sua christiana, humana et culturali exornatus est.

Die vicesimo quinto mensis Novembris anno millesimo nongentesimo octogesimo primo Ioannes Paulus Pp II eum Congregationis pro Doctrina Fidei nominavit Praefectum et die decimo quinto mensis Februarii insequentis anni pastoralis Archidioecesis Monacensis et Frisingensis cura abdicavit [recte: se a pastoralis... cura abdicavit].

Coram relativismo et atheismo practico magis magisque irrepentibus, anno bismillesimo decimo Litteris Apostolicis Motu Proprio datis *Ubicumque et semper* Pontificium Consilium de Nova Evangelizatione promovenda instituit, cui omnia commisit quae ad catechesim attinet [recte: attinent].

Bene ualeatis.

Dabam Tergesti in Italia, die V m. Ian. a. MMXXIII, feria V temporis Natiuitatis, hora ferme XII cum quadrante.

1 Rectê scribendum fuit: attinent (pl.)

BENEDICTUS PP. XVI

LITTERAE APOSTOLICAE

MOTU PROPRIO DATAE

LATINA LINGUA

De Pontificia Academia Latinitatis condenda

1. Latina Lingua permagni ab Ecclesia Catholica Romanisque Pontificibus usque est aestimata, quandoquidem ipsorum propria habita est lingua, qui eandem cognoscendam et diffundendam assidue curaverunt, cum Evangelii nuntium in universum orbem transmittere valeret, quemadmodum in Constitutione Apostolica *Veterum sapientia* Decessor Noster beatus *Ioannes XXIII* iure meritoque edixit.

Enimvero inde a Pentecoste omnibus hominum linguis locuta et precata est Ecclesia. Attamen christianae communitates primorum saeculorum linguam Graecam Latinamque affatim usurpaverunt, cum illis locis in quibus morabantur universalia essent communicationis instrumenta, quorum ope Christi Verbi novitas hereditati obviam ivit Romani et Hellenistici cultus.

Romano Imperio occidentali extincto, Romana Ecclesia non modo lingua Latina uti perrexit, verum etiam quodammodo custos eiusdem et fautrix fuit, sive in Theologiae ac Liturgiae, sive in institutionis et scientiae transmittendae provincia.

2. Nostris quoque temporibus Latinae linguae et cultus cognitio perquam est necessaria ad fontes vestigandos ex quibus complures disciplinae ceteroqui hauriunt, exempli gratia Theologia, Liturgia, Patrologia et Ius Canonicum, quemadmodum *Concilium Oecumenicum Vaticanum II* docet (cfr Decretum de Institutione sacerdotali, *Optatam totius*, 13). In hac praeterea lingua, ut universalis Ecclesiae natura pateat, typica forma sunt scripti liturgici libri Romani Ritus, praestantiora Magisterii pontificii Documenta necnon sollemniora Romanorum Pontificum officialia Acta.

3. In hodierno tamen cultu, humanarum litterarum extenuatis studiis, periculum adest levioris linguae Latinae cognitionis, quae in curriculis philosophicis theologisque futurorum presbyterorum quoque animadvertitur. Sed contra, in nostro ipso orbe, in quo scientia ac technologia praecipuum obtinent locum, renovatum culturae et linguae Latinae studium invenitur, non illis in Continentibus dumtaxat quae proprias culturales radices in patrimonio Graeco et Romano habent. Id diligentius est animadvertendum eo quod non modo academiarum provincia et institutionum implicatur, sed ad iuvenes inquisitoresque etiam attinet, qui ex diversissimis Nationibus et traditionibus proveniunt.

4. Quapropter necessitas instare videtur ut linguae Latinae altius cognoscendae eiusque congruenter utendae fulciatur cura, sive in ecclesiali sive in patentiore cultus campo. Ut hic nisus extollatur et evulgetur, consentaneum prorsus est docendi rationes adhibere aptas ad novas condiciones et provehere item necessitudines inter Academicas institutiones et inquisitores, ut copiosum ac multiforme Latini cultus patrimonium efferatur.

Ad haec proposita assequenda, Decessorum Nostrorum semitas calcantes, hasce per Litteras Apostolicas Motu Proprio datas hodie Pontificiam Academiam Latinitatis condimus, quae Pontificio Consilio de Cultura erit obnoxia. Eam regit Praeses, quem Secretarius iuvat et ii a Nobis nominantur, dum Consilium Academicum illis auxilium fert. Opus Fundatum *Latinitas*, quod [Pauli PP. VI](#) chirographo [Romani Sermonis](#) die XXX mensis Iunii anno MCMLXXVI est constitutum, exstinguitur.

Decernimus ut hae Litterae Apostolicae Motu Proprio datae, quibus ad experimentum in quinquennium adnexum Statutum comprobamus, per editionem in actis diurnis “L’Osservatore Romano” evulgentur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die X mensis Novembris, in memoria Sancti Leonis Magni Papae, anno MMXII, Pontificatus Nostri octavo.

BENEDICTUS PP. XVI**Pontificiae Academiae Latinitatis Statutum**

Art. I

Pontificia Academia Latinitatis conditur, cuius sedes in Statu Civitatis Vaticanae locatur, quae linguam Latinam et cultum promoveat extollatque. Academia cum Pontificio Consilio de Cultura copulatur, cui est obnoxia.

Art. II

§ 1. Haec sunt Academiae proposita:

a) ut linguae litterarumque Latinarum, quae ad classicos, Christianos, mediaevales, humanisticos et recentissimos pertinent auctores, cognitionem iuvet studiumque provehat, praesertim apud catholica instituta, in quibus vel Seminarii tirones vel presbyteri instituuntur atque erudiuntur.

b) Ut provehat diversis in provinciis Latinae linguae usum, sive scribendo sive loquendo.

§ 2. Ut haec proposita consequatur, Academia studet:

a) scripta, conventus, studiorum congressiones, scaenica opera curare;

b) curricula, seminaria aliaque educationis incepta procurare, etiam iunctis viribus cum Pontificio Instituto Altioris Latinitatis;

c) hodierna quoque communicationis instrumenta in discipulis instituendis adhibere, ut sermonem Latinum perdiscant.

d) expositiones, exhibitiones et certamina apparare;

e) alia agere ac suscipere ad hoc Institutionis propositum assequendum.

Art. III

Pontificia Academia Latinitatis Praesidem, Secretarium, Consilium Academicum ac Sodales, qui Academici quoque nuncupantur, complectitur.

Art. IV

§ 1. Academiae Praeses a Summo Pontifice in quinquennium nominatur. Praesidis mandatum in alterum quinquennium renovari potest.

§ 2. Ad Praesidem spectat:

a) iure Academiae, etiam coram quavis iudiciali administrativaque auctoritate, sive canonica sive civili, partes agere;

b) Consilium Academicum et Sodalium Congressionem convocare eisque praesidere;

c) Congressionibus Coordinationis Academicarum Pontificiarum Sodalibus loco interesse atque cum Pontificio Consilio de Cultura necessitudinem persequi;

d) Academiae rebus agendis praeesse;

e) ordinariae administrationi, Secretario opem ferente, atque extraordinariae administrationi, suffragante Consilio Academico necnon Pontificio Consilio de Cultura, consulere.

Art. V

§ 1. In quinquennium a Summo Pontifice nominatur Secretarius, qui in alterum quinquennium confirmari potest.

§ 2. Praeses, si forte absit vel impediatur, Secretarium delegat, ut ipsius vice fungatur.

Art. VI

§ 1. Consilium Academicum constituunt Praeses, Secretarius et quinque Consilarii. Consilarii autem a coetu Academicorum in quinquennium eliguntur, qui confirmari possunt.

§ 2. Consilium Academicum, cui Academiae Praeses praeficitur, de maioris ponderis quaestionibus, ad Academiam attinentibus, decernit. Ipsum Rerum agendarum ordinem comprobatur, quae a Coetu Sodalium

tractanda erunt, qui saltem semel in anno est convocandus. Consilium a Praeside convocatur semel in anno atque quotiescumque porro id saltem tres Consiliarii requirunt.

Art. VII

Praeses, suffragante Consilio, Archivarium, qui Bibliothecarii partes quoque agit, atque Thesaurarium nominare potest.

Art. VIII

§ 1. Academiam constituunt Sodales Ordinarii, qui numerum quinquaginta non excedunt et Academici vocantur, quique studiosi sunt cultoresque linguae ac litterarum Latinarum. Ii a Secretario Status nominantur. Cum autem Sodales Ordinarii octogesimum aetatis annum complent, Emeriti fiunt.

§ 2. Academici Ordinarii Academiae Coetui, a Praeside convocato, intersunt. Academici Emeriti Coetui interesse possunt, at sine suffragio.

§ 3. Praeter Academicos Ordinarios, Academiae Praeses, Consilio audito, alios Sodales nominare potest, qui “correspondentes” nuncupantur.

Art. IX

Aboliti Operis Fundati *Latinitas* patrimonium inceptaque, compositione editioneque commentariorum *Latinitas* addita, in Pontificiam Academiam Latinitatis transferuntur.

Art. X

Quae hic expresse non deliberantur, [Codice Iuris Canonici](#) et Status Civitatis Vaticanae legibus temperantur.

RENUNTIATIO BENEDICTI XVI. LATINA

(A.2013)

<https://www.youtube.com/watch?v=iqZGZlaViI>



In Sede Vaticanâ, d.11. m.Febr. a.2013.

<https://rorate-caeli.blogspot.com/2013/02/urgent-pope-announces-resignation-on.html>

Fratres carissimi,

non solum propter tres canonizationes ad hoc Consistorium vos convocavi, sed etiam ut vobis<cum>¹ decisionem magni momenti pro Ecclesiae vita communicem. Conscientia mea iterum atque iterum coram Deo explorata ad cognitionem certam perveni vires meas ingravescente aetate non iam aptas esse ad munus Petrinum aequè administrandum.

Bene conscius sum <me>² hoc munus secundum suam essentiam spiritualem non solum agendo et loquendo exsequi debere, sed non minus patiendo et orando. Attamen in mundo nostri temporis rapidis mutationibus subiecto et quaestionibus magni ponderis pro vita fidei perturbato ad navem Sancti Petri gubernandam et ad annuntiandum Evangelium etiam vigor quidam corporis et animae necessarius est, qui ultimis mensibus in me modo tali minuitur, ut incapacitatem meam ad

¹ <cum> supplendum est; nam verbum *communicare* non significat i.q. *alqm. certiore facere*, nisi coniungitur cum hac praepositione.

² <me> est supplementum necessarium (a.c.i. post *consciis sum*).

ministerium mihi commissum bene administrandum agnoscere debeam. Quapropter bene conscius ponderis huius actus plena libertate declaro me ministerio Episcopi Romae, Successoris Sancti Petri, mihi per manus Cardinalium die 19 aprilis MMV commisso³ renuntiare ita ut a die 28 februarii MMXIII, hora 20 sedes Romae, sedes Sancti Petri vacet et Conclave ad eligendum novum Summum Pontificem ab his quibus competit convocandum esse.

Fratres carissimi, ex toto corde gratias ago vobis pro omni amore et labore, quo mecum pondus ministerii mei portastis et veniam peto pro omnibus defectibus meis. Nunc autem Sanctam Dei Ecclesiam curae Summi eius Pastoris, Domini nostri Iesu Christi confidimus sanctamque eius Matrem Mariam imploramus, ut patribus Cardinalibus in eligendo novo Summo Pontifice materna sua bonitate assistat. Quod ad me attinet etiam in futura⁴ vita orationi dedicata Sanctae Ecclesiae Dei toto ex corde servire velim.

Ex Aedibus Vaticanis, die 10 mensis februarii MMXIII

BENEDICTUS PP XVI

³ Originaliter in receptione acusticâ et in textu publicato auditur et legitur *commissum (sic!)*; quod procul dubio est paragramma aut lapsus linguae et calami. Nam hoc participium perfecti necessario spectat ad dativum, qui est *ministerio* (supra p.17, lin.3; cfr iam antea: lin.1: *ministerium mihi commissum*. Adversus hunc lapsum in contextu sermonis clarê patet Benedictum hîc dicere se muneri suo renuntiare (*ministerium* hîc loco est i.q. *munus!*). Itaque nescio, quare quidam homines contenderint hanc sententiam aut esse ambiguam aut prorsus non intellegibilem.

⁴ *Futura* est coniectura mea: refero hanc formam ad *vita*. In textu originali legitur *in futuro* (sic!); quod aut est paragramma aut significat i.q. *in futurum, in posterum*. Sed sive legendum est *futura* sive *futuro*, sensus totius sententiae vix mutatur necnon clarê intellegitur.

RENUNTIATIO PAPAE BENEDICTI

A VALAFRIDO STRABONE RETRACTATA

Ad hoc Consistorium vos, fratres carissimi, non solum propter tres consecrationes convocavi, sed etiam ut vobis consilium aliquod meum, quod Ecclesiae non parum interest, aperiam. Nam factis meis tacitisque cogitationibus coram Deo diligentissime perpensis intellexi et pro certo cognovi vires meas ingravescente aetate non iam aptas esse ad munus Petri recte administrandum.

Non equidem ignoro hoc munus, si spirituali sensu intellegas, tam in orando et patiendo quam in agendo et loquendo positum esse. Attamen hoc nostro tempore, quo omnia rapidis motibus perturbari Christianorumque animi maximum in discrimen venire solent, ad navem Sancti Petri gubernandam et Evangelium praedicandum etiam vigor quidam corporis et animi necessarius est. Qui sane praeteritis mensibus in me tantopere defecit, ut me nunc quidem non iam satis idoneum, qui hoc officium expleam, confiteri cogar. Quapropter, quamvis pondus huius facti non ignorem, libere sponte mea declaro me ministerio Episcopi Romani, Successoris Sancti Petri mihi per manus Cardinalium die 19 Aprilis MMV commisso ita renuntiare ut inde a die 28 februarii MMXIII, hora 20, sedes Romana, sedes Sancti Petri vacet et Conclave ad eligendum Summum Pontificem ab eis quorum id munus est convocandum sit.

E toto animo, fratres carissimi, gratias ago vobis quod tam amice tamque studiose onus ministerii mei mecum sustulistis veniamque peto pro omnibus quae erravi et peccavi. Nunc autem Sanctam Dei Ecclesiam curae Summi eius Pastoris, Domini nostri Iesu Iesus Christus¹ permittimus sanctamque eius Matrem Mariam imploramus, ut patribus Cardinalibus in eligendo novo Summo Pontifice pro materna bonitate sua auxilium ferat. Mihi quidem etiam in futurum Sanctae Ecclesiae Dei piis precibus, quibus vitam dedicabo, toto ex animo servire propositum est.

Ex Aedibus Vaticanis, die 10 mensis februarii MMXIII²

¹ *Lapsus Valafridi*: Iesu Iesus Christus *rectê*: Iesu Christi

² Textus huius Valafridiani exercitii Latinê scribendi potius facticii quam artificiosi invenitur hôc loco: <https://www.abendzeitung-muenchen.de/kultur/latein-professor-verbessert-benedikts-ruecktrittserklaerung-art-187833>

Testamentum spirituale Benedicti XVI. Papae emeriti

*quod e theodisco in Latinum sermonem convertit
Leo Latinus, i.e. Nikolaus Groß*


<https://www.vaticannews.va/de/papst/news/2022-12/papst-benedikt-xvi-geistliches-testament-wortlaut-deutsch.html>

Verba Benedicti XVI. originalia	Versio Leonis Latini
29. August 2006 <i>Mein geistliches Testament</i>	d.29. m. Aug. a.2006 <i>Testamentum meum spirituale</i>
Wenn ich in dieser späten Stunde meines Lebens auf die Jahrzehnte zurückschaue, die ich durchwandert habe, so sehe ich zuallererst, wieviel Grund ich zu danken habe.	Hac in vitae meae horâ serâ cum decennia illa respecto quae permigravi, primum omnium video, quot causae mihi sint gratias referendi.
Ich danke vor allen anderen Gott selber, dem Geber aller guten Gaben, der mir das Leben geschenkt und mich durch vielerlei Wirrnisse hindurchgeführt hat; immer wieder mich aufgehoben hat, wenn ich zu gleiten begann, mir immer wieder neu das Licht seines Angesichts geschenkt hat.	Ante omnes alios <i>gratias refero Deo</i> ipsi donatori omnium donorum bonorum, qui vitam mihi donaverit meque per turbas duxerit multiplices; etiam atque etiam me lapsurum allevaverit mihi que etiam atque etiam donaverit lumen faciei suae.
In der Rückschau sehe und verstehe ich, daß auch die dunklen und mühsamen Strecken dieses Weges mir zum Heile waren und daß Er mich gerade da gut geführt hat.	Respectans autem video atque intellego etiam huius itineris spatia obscura et laboriosa mihi fuisse salutis Deumque in his ipsis me bene duxisse.
Ich danke meinen Eltern, die mir in schwerer Zeit das Leben geschenkt und unter großen Verzichten mir mit ihrer Liebe ein wundervolles Zuhause bereitet haben, das als helles Licht alle meine Tage bis heute durchstrahlt.	Gratias refero meis <i>parentibus</i> , qui tempore difficili mihi vitam donaverint ipsique multis rebus carentes amore suo mihi paraverint domesticam vitam mirabilem, cuius memoriâ omnes dies mei usque hodiernum perlucentur tamquam lumine lucido.
Der helllichtige Glaube meines Vaters hat uns Geschwister glauben gelehrt und hat als Wegweisung mitten in all meinen wissenschaftlichen Erkenntnissen standgehalten;	<i>Patris</i> fides sagax nos filios filiamque docuit credere mediisque in omnibus cognoscentiis scientificis permansit mihi dux et index itineris;
die herzliche Frömmigkeit und die große Güte der Mutter bleiben ein Erbe, für das ich nicht genug danken kann.	<i>matris</i> pietas sincera magna que clementia manent mihi hereditates, pro quibus gratias referre non possum sat multas.

Meine Schwester hat mir selbstlos und vollgütiger Sorge über Jahrzehnte gedient;	<i>Soror mea mihi per decennia ministravit suae utilitatis immemor et plena curae clementissimae;</i>
mein Bruder hat mir mit der Hellsicht seiner Urteile, mit seiner kraftvollen Entschiedenheit und mit der Heiterkeit des Herzens immer wieder den Weg gebahnt; ohne dieses immer neue Vorausgehen und Mitgehen hätte ich den rechten Weg nicht finden können.	<i>frater meus iudicii sui sagacitate, firmitate atque fortitudine, animi hilaritate etiam atque etiam mihi viam aperiebat; nisi îdem praeundo et comitando me ducere semper perrexisset, rectam viam non invenissem.</i>
Von Herzen danke ich Gott für die vielen Freunde, Männer und Frauen, die er mir immer wieder zur Seite gestellt hat; für die Mitarbeiter auf allen Stationen meines Weges; für die Lehrer und Schüler, die er mir gegeben hat.	<i>Medullitus gratias ago Deo pro tot amicis et viris et mulieribus etiam atque etiam me adiuvere iussis; pro hominibus in omnibus itineris mei stationibus mecum cooperantibus; pro magistris et discipulis, quos mihi dedit.</i>
Sie alle vertraue ich dankbar seiner Güte an.	<i>Quos omnes grato animo mando eius clementiae.</i>
Und danken möchte ich dem Herrn für die schöne Heimat im bayerischen Voralpenland, in der ich immer wieder den Glanz des Schöpfers selbst durchscheinen sehen durfte.	<i>Et Domino gratias agere velim pro pulchrâ patriâ, quae sita est in regione Bavariae praealpinâ, in quâ etiam atque etiam mihi licebat spectare fulgorem ipsius creatoris perlucentem.</i>
Den Menschen meiner Heimat danke ich dafür, daß ich bei ihnen immer wieder die Schönheit des Glaubens erleben durfte.	<i>Compatriotis gratias ago, quod apud eos etiam atque etiam mihi licebat experiri pulchritudinem fidei religiosae.</i>
Ich bete darum, daß unser Land ein Land des Glaubens bleibt und bitte Euch, liebe Landsleute: Laßt euch nicht vom Glauben abbringen.	<i>Id oro precorque, ut terra nostra maneat terra fidei et rogo vos, cari conterranei: Nolite a fide desciscere.</i>
Endlich danke ich Gott für all das Schöne, das ich auf den verschiedenen Stationen meines Weges, besonders aber in Rom und in Italien erfahren durfte, das mir zur zweiten Heimat geworden ist.	<i>Denique Deo gratias ago pro omnibus illis pulchris, quae in diversis itineris mei stationibus experiri mihi licuit, praesertim Romae et in Italiâ, quae mihi facta est altera patria.</i>
Alle, denen ich irgendwie Unrecht getan habe, bitte ich von Herzen um Verzeihung.	<i>Omnes, quibus aliquo modo iniuriam attuli, intimo ex animo rogo, ut mihi ignoscant.</i>
Was ich vorhin von meinen Landsleuten gesagt habe, sage ich nun zu allen, die meinem Dienst in der Kirche anvertraut waren: Steht fest im Glauben! Laßt euch nicht verwirren!	<i>Id quod modo dixi de conterraneis meis, nunc dico omnibus, qui mihi in ecclesiâ munus gerenti erant mandati: fidem christianam firmê servate! Nolite perturbari!</i>
Oft sieht es aus, als ob die Wissenschaft – auf der einen Seite die Naturwissenschaften, auf der anderen Seite die Geschichtsforschung (besonders die Exegese der Heiligen Schriften) – unwiderlegliche Einsichten vorzuweisen hätten, die dem katholischen Glauben entgegenstünden.	<i>Saepe scientiae – unâ ex parte scientiae naturales, alterâ investigatio historica (praesertim exegesis Sacrorum Scriptorum) – videntur patefacere cognitiones irrefutabiles fidei catholicae contrarias.</i>
Ich habe von weitem die Wandlungen der	<i>E longinquo mutationes scientiarum naturalium</i>

<p>Naturwissenschaft miterlebt und sehen können, wie scheinbare Gewißheiten gegen den Glauben dahinschmolzen, sich nicht als Wissenschaft, sondern als nur scheinbar der Wissenschaft zugehörige philosophische Interpretationen erwiesen – wie freilich auch der Glaube im Dialog mit den Naturwissenschaften die Grenze der Reichweite seiner Aussagen und so sein Eigentliches besser verstehen lernte.</p>	<p>expertus vidi veritates putativas fidei contrarias ita absumi quodammodo liquescentes, ut invenirentur non esse scientificae, sed esse interpretationes philosophicas specie tantum ad scientias spectantes – scilicet concedamus etiam fidem religiosam dialogo cum scientiis naturalibus factio melius didicisse, quantum ipsa comprehenderet et qualis esset sibi limes, ut melius intellexeret suam proprietatem.</p>
<p>Seit 60 Jahren begleite ich nun den Weg der Theologie, besonders auch der Bibelwissenschaften, und habe mit den wechselnden Generationen unerschütterlich scheinende Thesen zusammenbrechen sehen, die sich als bloße Hypothesen erwiesen: die liberale Generation (Harnack, Jülicher usw.), die existenzialistische Generation (Bultmann usw.), die marxistische Generation.</p>	<p>Ex sexaginta annis nunc iter theologiae comitor, praesertim scientiarum biblicarum comitans generationum vicissitudine vidi collabi theses, quae visae erant irrefutabiles, sed demonstratae sunt merae hypotheses: generatio liberalis (<i>Harnack, Jülicher</i> eqs.), generatio existenzialistica (<i>Bultmann</i> eqs.), generatio marxistica.</p>
<p>Ich habe gesehen und sehe, wie aus dem Gewirr der Hypothesen wieder neu die Vernunft des Glaubens hervorgetreten ist und hervortritt. Jesus Christus ist wirklich der Weg, die Wahrheit und das Leben – und die Kirche ist in all ihren Mängeln wirklich Sein Leib.</p>	<p>Vidi et video ex hypothesis turbâ intricatissimâ resurrexisse et resurgere rationem fidei. Iesus Christus reverâ est via et veritas et vita – et ecclesia adversus omnes defectûs suos – est reverâ eius corpus.</p>
<p>Endlich bitte ich demütig: Betet für mich, damit der Herr mich trotz all meiner Sünden und Unzulänglichkeiten in die ewigen Wohnungen einläßt. Allen, die mir anvertraut sind, gilt Tag um Tag mein von Herzen kommendes Gebet.</p>	<p>Denique vobis supplico: Orate pro me, ut Dominus adversus omnia peccata mei et insufficientias me sinat intrare in mansiones aeternas. Omnibus, qui mihi sunt mandati, de die in diem preces meas dedico ex intimo animo venientes.</p>
<p>Benedictus PP XVI.</p>	<p>Benedictus PP XVI.</p>

DE MORTE PAPAE LATINISSIMI QUID DIXERINT ALEXANDER HIPPOMYLIUS ET ANSGARIUS OSLOENSIS



Cara Lectrix, Care Lector, audi et specta obituarium Benedicti Pontificis Maximi Latinissimi ab Alexandro Hippomylio (i.e. *Sascha Rossmüller*) scriptum atque recitatum: <https://gab.com/SaschaRossmueller/posts/109607970815049769>

D.5. et 6. m.Ian. a.2023 ANSGARIUS OSLOENSIS mihi hoc photographema misit et scripsit ea quae sequuntur:

d.5. »...*Nihilo secius tristem nuntium accepi, scilicet de morte papae emeriti Benedicti decimi sexti. Homunculus fuit sat doctus, et christianus sincerus, quem latratores ac maledici fautores sinistrarium partium acerbe insequabantur ut nazistam et inimicum libertatis perpetuum! In nonnullis autem diurnis iuris publici facta est epistula eius valedictoria, pulchra et plena dignitatis, ut quidem sentio. Homines ad fidem colendam hortatur, et dicit Ecclesiam Christi esse corpus. Attamen, haud scio an Ecclesia Catholica iam non sit Ecclesia Christi. Papa enim Franciscus, procul dubio pessimus omnium paparum, et scortatoribus et ebriosis aetatis litterarum renascentium prorsus postponendus, potius speciem politici prasino-communistici prae se fert quam sacerdotis...«*

d.6. »*Salvus sis Nicolae! Alexandro Germanico assentior. Papa Benedictus, qui suavitatem morum ad litteras reconditas adiungeret, non magis doctrina quam humanitate praecelluit. Quod cum ita sit, abdicare minime debuit. Nam successor eius, marxista ille Rioplatensis, prominuli ventris oculisque caninis, maximam Ecclesiae*

*calamitatem molitur, ut decet non modo Christi Regis, sed omnium deorum infitiatorem. Neminem autem fugit, regnum Dei nec terminis terrenis, nec ecclesiasticis circumscribi. Qua de causa, has curas inanes ac mundanas excutiamus, necesse est. Pater purpuratus, vel cardinalis, optimus mihi videtur **Robertus Sarah Guianensis**, nam non omnes episcopos Africanos lascivia morum et vitae licentioris nimietas prorsus depravavit, et ad vitia nefanda, id est ad rem publicam capessendam, impulit. Haud raro fit, ut Cardinalis Robertus Sarah de Deo et de doctrina christiana docte, et non absque prudentia, disseratur. Haec quidem breviter et confestim. Nunc catus Pius est pascendus, qui scilicet, si Summus Pontifex crearetur, Pius tertius decimus vocaretur. **Basilice te salutat Ansgarius.***


CHRONOGRAMMATA HERBERTIANA

Zum 17. Oktober, dem Fest des heiligen Ignatius von Antiochien:

2022* IgnatIVs TheophorVs antIoChenVs epIsCopVs fortIs MartYr IesV ChrIstI panIs pVrVs et VerVs a ferIs LeonIbVs LiberIs DILanIatVs est. – Ignatius Theophorus*, Bischof von Antiochien, tapferer Märtyrer Jesu Christi, ist als reines und wahrhaftiges Brot von frei gelassenen wilden Löwen zermahlen worden**. – Ignatius von Antiochien, der sich in seinen Briefen an die Gemeinden, die er auf der Reise zum Martyrium in Rom besuchte, „Theophorus“ = „Gottträger“* nannte, war kein Masochist, sondern wollte, ** wie er im Brief an die Römer schrieb, „als reines und wahrhaftiges Brot“ von den Löwen in der Arena wie reines und wirkliches Mehl zermahlen werden. – Ignatius von Antiochien, ca. + 107 in der Arena Roms von Löwen getötet. - Variante: 2022* IgnatIVs AntIoChenVs epIsCopVs sapIens et fortIs MartYr IesV ChrIstI Vo LVntarIVs a LeonIbVs ferIs Vere qVasI panIs DILanIatVs est. – Ignatius von Antiochien, weiser Bischof und tapferer Märtyrer Jesu Christi, ist freiwillig von wilden Löwen wirklich wie Brot zermalmt worden.


Zum 18. Oktober, dem Fest des heiligen Evangelisten Lukas:

2022* LVCas, fVistI MeDICVs sapIens et eXpertVs, eVangeLIsta VerItatIs et soCIVs VeteranVs PaVLI nostrI, ora pIe pro nobIs– Lukas, du warst der weise und erfahrene Arzt, Evangelist der Wahrheit und ein altgedienter Begleiter unseres Paulus, bitte gütig für uns!



Lukas malt eine Ikone der Gottesmutter, Serbien, um 1672

Zum 22. Oktober, dem Fest des heiligen Papstes Johannes Paul II.:




2022* eIa, oMnIa Mea sIne fIne tVa sVnt, o VIrgo fortIs pIetatIs – Oh ja, alles, was mein ist, gehört immer dir, o Jungfrau der starken Frömmigkeit! – nach Grignon von Monfort im Goldenen Buch: totus tuus!, was zum Wahlspruch von Johannes Paul II. wurde.

2022* eIa, totVs tVV sIne fIne, MarIa Mater fortIs pIetatIs – Ja, ich bin immer ganz dein, Maria, gütige und starke Mutter! – Wahlspruch des Heiligen

2022* Is MarIae pIae aIt: eIa, sIne fIne tVV sVM! - 2022* MarIa pIa aIt: eIa,, et tV erIs sIne fIne totVs MeVs! - Er sagt zur gütigen Maria: Ja, ich bin ganz dein! - Maria, die gütige, sagt: Oh ja, und Du wirst ganz mein sein! – Gespräch zwischen Johannes Paul und Maria als Doppelchronogramm

Zum 23. Oktober, dem Todestag von Bischof Heinrich RÜth CSSp.



2022* HenrIqVe RVeth aIebat: spIrltanI pII est MInIstrare, non MInIstrarI! – Heinrich RÜth sagte: Das Zeichen eines frommen Spiritaners ist es, zu dienen, nicht bedient zu werden. - Dom Henrique RÜth, CSSp. (* 04/01/1913, Priesterweihe 05/09/1939, Bischofsernennung: 22/06/1966; Bischofsweihe: 02/10/1966, Rücktritt 07/12/1988, + 23.20.2006) – Er hatte zwei Wahlsprüche: cor unum et anima una (ein Herz und eine Seele, Apg 4,32, der Wahlspruch der Spiritaner), und den eigenen: ministrare, non ministrari (dienen und nicht bedient werden – Mt 20,28), was er durch seinen unermüdlichen Einsatz als Missionar, Mitbruder und auch als Bauherr und in seinen Sozialwerken verwirklichte – im Chronogramm die brasilianische Form seines Namens Heinrich = Henrique

Zum 28. Oktober, dem Fest des heiligen Apostels Judas Thaddäus:

2022* IVDas ThaDDaeVs frater IaCobI serVVsqVe IesV sCrIptor Cartae eXIgVae atqVe breVIIs apostoLICae VIGorIs oret pro totIs nobIs – Judas Thaddäus, Bruder des Jakobus und Knecht Jesu, ist der Verfasser des knappen und kurzen Apostolischen Briefes voller Kraft, er soll für uns alle beten. – vgl. Jud 1

Zum 28. Oktober, dem Fest des heiligen Apostels Simon des Kananäers:

2022* SIMon ZeLotes aVt CananaeVs VoCatVs est apostoLVs IesV atqVe IVDex fVtVrI saeCVLI oret pro totIs nobIs.– Simon der Eiferer, oder, wie er auch genannt wird, der von Kana, ist Apostel Jesu und Richter der künftigen Welt, er soll für uns alle beten. - vgl. Lk 22,30



Tilman Riemenschneider, Heilig-Blutaltar, die beiden Apostel Judas Thaddhäus und Simon der Kananäer

Zum 31. Oktober, dem Reformationstag und dem 505. Jahrestag des angeblichen Thesenanschlages Luthers:

2022* DV annIs ante LVtherVs IBI portIs eCCLesIae CastELLI VVittenbergensIs XCV praeCLaras proposItiones LIBerae DIspVtationIs theoLogICae **non** affIXIt. – Vor 505 Jahren hat Luther dort an den Türen der Schlosskirche von Wittenberg die berühmten 95 Thesen einer freien theologischen Diskussion **nicht** angeschlagen. – Der angebliche Thesenanschlag ist ein Mythos, der nie stattgefunden hat; Luther hat am 31. Oktober 1517 lediglich einen Brief an Albert von Brandenburg geschrieben, wie Iserloh schon vor Jahren nachwies. Erst Melanchthon, der kein Augenzeuge gewesen sein kann, hat viel später vom Thesenanschlag geschrieben...

2022* fIat reforMatIo pIa VIRTvtVm In totIs nobIs. – Eine fromme Erneuerung der Sitten geschehe in uns allen!

Zum 01. November:



Monatsbild im Breviarium Grimani, Brügge, ca. 1515

2022* **I**ste no**VeM**ber erat ant**IqVI**s nostr**I**s non**V**s **Mens**I s ann**I** nostr**I**. – Dieser November war unseren Altvorderen der neunte Monat unseres Jahres. vgl, Durandus, Rationale, 8,4,12

Zum 1. November, dem **Fest Allerheiligen**:



Genter Altar der Brüder van Eyck -1432

Museum voor schone Kunsten, Gent

2022* CarItas ChrIstI pro totIs nobIs VrgVrsIt PaVLVM et apostoLos VIVentes In totIs saeCVLIIs et terrIs nostrIs hIstorIae VnIVs atqVe Verae eCCLESIAe CathoLICae. - Die Liebe Christi für uns alle drängte Paulus und die Apostel, die in allen Jahrhunderten und unseren Ländern der Geschichte der einen und wahren katholischen Kirche gelebt haben. – vgl. 2 Cor 5,14

2022* CyprIanVs totIs nobIs VatICInatVs est: qVoD erat ChrIstVs In praetorIo PILatI InIVstI erIMVs ChrIstIani In forIs VnIVersI orbIs nostrI. – Zyprian hat uns allen vorausgesagt: Was Christus im Gerichtshof des ungerechten Pilatus war, werden wir Christen auf den Marktplätzen unserer gesamten Welt sein. – Zyprian von Karthago, Idol. 6,15

2022* hIC FILIVs DeI VIVIt VIator et testIs In peregrInatIone, IbI erIt pro totIs nobIs fInIs atqVe Vera et perpetVa LaVDatIo et aLLeLVIA sIne DefeCtIbVs. - Hier lebt der Sohn Gottes als Wanderer und Zeuge auf der Pilgerschaft, dort wird für uns alle das Ende sein und der wahrhaftige und ewige Lobpreis und das Alleluja ohne Makel. – cf. Augustinus, In 1. Epistolam Ioannis ad Parthos, tract. 10, n. 6 – PL 35, 2058

2022* IstI qVI aMICTI sVnt stoLIIs aLbIs, qVI sVnt eI et VnDe VenerVnt? hI sVnt totI nostrI fratres qVI VenerVnt e tribVLatIonIbVs et LaVarVnt stoLas sVas In aLVEo sangVINIs AgNI VIVI – Wer sind diese, die mit weißen Gewändern bekleidet sind und woher kommen sie? Das sind all unsere Brüder, die aus den Bedrängnissen gekommen sind und ihre Kleider im Becken des Blutes des lebendigen Lammes gewaschen haben – Apok 7,17



Aufstieg der Heiligen – Reichenau, um 1015



Breviarium Grimani, Brügge, ca. 1515

2022* **IesVs** a**It** to**Is** no**Is** s**VI**s; s**It** **MI**n**I**strantes, non **MI**n**I**strat**I**! – Jesus sagt uns allen, den Seinen: Seid die, die dienen, und nicht die, die sich bedienen lassen! - Variante: 2022* **prIMVs** Inter **Vos** s**It** **MI**n**I**ster **V**ester – der Erste unter euch sei euer Diener! - vgl. Mt 21, 1- 12

2022* **IesVs** **ChrIstVs** **DILeXI**t nos et **LI**bere **LaVI**t nos ab to**Is** **InIqVI**tat**IbVs** no**strIs** **In** sang**VI**ne s**Vo** et fe**CI**t nos sa**CerD**otes **In** regn**Is** aetern**Is** **DeI** et Patr**Is** s**VI** et no**strI** – Jesus Christus hat uns geliebt und uns aus eigenem Antrieb von all unseren Sünden in seinem Blut rein gewaschen, und uns zu Priestern und Königen im ewigen Reiche Gottes und seines und unseres Vaters gemacht. - Apok 1,6



Albrecht Dürer, Allerheiligenbild (1511)

Kunsthistorisches Museum, Wien,

Foto: Hildegard Schuhmann

2022* **IbI In DoMo DeI nostrI habItabVnt sIne fine pII IVstI.** – Dort im Hause unseres Gottes werden die frommen Gerechten für immer wohnen.

2022* **In eCCLesIa IesV aLII sVnt qVI e DISCIpVLI In totIs terrIs peregrInantVr, aLII qVI eXpLeto hoC CVrsV VnICO terrestrIs VItae fVnCTI pVrIfICantVr, aLII Vero qVI IbI In CaeLI s aeternIs gLorIfICantVr.** – In der Kirche Jesu sind die einen diejenigen, die aus der Zahl der Jünger auf der ganzen Erde als Pilger dahinziehen, die anderen, welche nach der Vollendung dieses einmaligen Laufes des irdischen Lebens gereinigt werden, die dritten aber, die im ewigen Himmel verherrlicht werden. – vgl. Vat.II., Lumen gentium, 48

2022* **Patrone noster/ Patrona mostra, DeDIstI sangVIneM Xto, ora IbI ple pro nobIs.** – Unser Patron/Unsere Patronin, Du hast Dein Blut Christus geschenkt, bitte dort fromm für uns.

2022* **sI qVIs est In ChrIsto noVa CreatVra, Vetera transIerVnt – eCCe IbI faCta sVnt oMnIa noVItatIs atqVe pro nobIs totIs reConCILIata pVra gratIa CrVCI nostrI IesV.** – Wenn jemand in Christus ein neues Geschöpf geworden ist, so ist das Alte vergangen – siehe, dort ist alles neu geworden und für uns alle wiederversöhnt durch reine Gnade des Kreuzes unseres Jesus. - vgl. 2 Cor 5,17



Rembrandt, Hundert-Gulden-Blatt

2022* Vere beatI InfInIte erItIs Vos CIbantes, potVsqVe offerentes, tegentes, ConDentes, CoLLIgentes, Carpentés, VISItantes atqVe ConsVLentes, eXorantes, fortIter ferentes, patIenter soLantes, sapIenter DoCentesqVe, LIberantes atqVe In pIetate IgnosCentes. - Wahrhaftig glücklich werdet ihr für immer sein, die ihr (den Hungernden) **zu essen gebt**, (den Durstigen) **zu trinken gebt**, die ihr (die Nackten) **bekleidet**, die ihr (die Obdachlosen) **aufnehmt**, (die Toten) **bestattet**, (die Kranken) **pfl egt**, (die Gefangenen) **besucht**, (den Ratsuchenden) **ratet**, (für die, die des Gebetes bedürfen) **betet**, (die Last des Nächsten) in Stärke **erträgt**, (die Trostlosen geduldig) **tröstet**, (die Unwissenden weise) **belehrt**, (die im Irrtum Befangenen) **befreit** und (denen, die euch beleidigten und Böses taten,) fromm **verzeiht**. - Die sieben leiblichen und die sieben geistlichen Werke der Barmherzigkeit, die uns zur wirklichen Seligkeit im Gericht führen. – vgl. Mt 25, 31-46; KKK 2447

2022* VerI fratris et sororis IesV sIt pIe totIs MInIstrare, non MInIstrarI. – Das Zeichen des wahren Bruders und der wahren Schwester Jesu soll es sein, allen in Güte zu dienen, nicht bedient zu werden. – vgl. Mt 20,28

Hintergrund - [kathpedia erklärt im Stichwort „Mystischer Leib Christi“](#): Seit etwa dem 12. Jahrhundert wurde diese Zeit und Raum übersteigende Gemeinsamkeit der Kirche in die Begriffe von der "streitenden Kirche" (ecclesia militans) als der "noch auf Erden pilgernde Teil" und die "triumphierende Kirche" (ecclesia triumphans), die "in ewiger Seligkeit lebt", gefasst. Später kam zu diesem Bild die Vorstellung eines dritten Teils hinzu, die "leidende" oder "büßende Kirche" (ecclesia poenitens) im Purgatorium (Fegfeuer). Die Begrifflichkeit von der "streitenden", "leidenden" und "triumphierenden" Kirche wird von Papst Pius XII. in der Ansprache "Voi siete venuti" vom 6. Oktober 1940 für die Gemeinschaft der Heiligen erwähnt. In der Kirchenkonstitution Lumen gentium 1964 werden diese drei Begriffe nicht verwendet, das Gemeinte wird jedoch in den Nummern Nrn. 49 und 50 beschreibend behandelt, die irdische Kirche wird

dabei "Kirche der Pilger" (*Ecclesia viatorum*, LG 50) genannt: "Bis also der Herr kommt in seiner Majestät [...], pilgern die einen von seinen Jüngern auf Erden, die andern sind aus diesem Leben geschieden und werden gereinigt, wieder andere sind verherrlicht und schauen klar den dreieinen Gott selbst, wie er ist." Papst Johannes Paul II. spricht 1984 im Nachsynodalen Schreiben *Reconciliatio et paenitentia*, in Nr. 31 an einer Stelle von der ganzen Kirche, welche "die streitende, die leidende und die im Himmel" ausmache; der Begriff "triumphierende Kirche" wird nicht gebraucht. Der Katechismus der Katholischen Kirche weist 1992 auf die dreifache Wirklichkeit hin, indem er von "drei Ständen der Kirche" spricht, die "zusammen die eine Kirche" bilden (Nr. 954+962).

HAEC CHRONOGRAMMATA
PIO ANIMO CONFECIT
PATER HERBERTUS DOUTEIL
BRASILIENSIS

RESPONSIO GAI LICOPPE AD SYMBOLAM PAULI KANGISER

cfr Epistula Leonina 266, p.10-23:

Paulus Kangiser, De Deo rebusque antiquis atque hodiernis.

Gaius Licoppe Paulo Kangiser s.p.d.

In *Leone Latino* 266 attente legi longam symbolam tuam, qua de variis argumentis tractas. In longa vita mihi contigit cum multis eruditis hominibus commercium intellectuale habere et comperi eos ad duas diversas categorias pertinere. Tu manifesto ad categoriam pertines illorum rationalismum non respicientium, sed qui quoque accipiunt traditas notiones irrationales. Liceat mihi exponere, quid cogitent homines, qui traditas notiones irrationales non accipiunt.

"Deus est energia". Iam huic sententiae non assentior. Adhibes vocabulum "Deus" sensu subaudito Dei, qualis christiani eum sibi fingunt, sed mahometani (et multi sunt in Terra), Indi vel Extremi Orientis incolae aliter eum sibi fingunt.

Hominum memoria, iam primitivae gentes percipiebant aliquam supremam potentiam Universum regere et suam sortem ab ea omnino pendere. "Energia" est vocabulum ex Graeco optime compositum: etymologice significat "in actione" et re vera nulla actio fieri potest sine energia; vocabulum tamen non dicit quid sit actionis motum; rectius ergo dicendum est auctorem energiae esse hanc supremam sed ignotam potentiam.

Dicis quoque mundi creationem ab una atomo incepisse. Hoc non est omnino verum. Omni aevo homines doctissimi (ut ipse Albertus Einstein) pro certo habebant Universum esse aeternum. Annis tricesimis XX saeculi stupendam theoriam proposuit canonicus Belga post novissimas caeli observationes ab astronomo Americano factas: Universum historiam habet! Nam cum Naturae physicae leges pro toto Universo valeant, fieri potuit ut astronomi valerent Universi sagittam temporis adumbrare fere usque ad eius initium, quod invenerunt fuisse ante 13,8 miliarda annorum. Nullus tamen scientificus autumat initium Universi fuisse "primigena atomus"; initium enim Universi neque describi potest, neque intellegi, cum Naturae physicae leges instrumento mathematico expressae ducant ad

temperaturam et pressionem infinitas; hoc initium non comprehensum scientifici vocant "singularitatem".

Scribis: "Homo autem partim ex energia psychica partim ex physica creatus est". Scientia rationalis "energiam psychicam" vocat voluntatem et solum "energiam physicam" agnoscit. Hominem creatum esse liberum ex voluntate Dei, quem Ipse possit amare et ab eo amari, est dogma christianismi; si Naturam observamus, solum videmus summam crudelitatem viventium, qui exstare non possunt nisi inter se devorantes; nulla misericordia detegitur in Natura.

"Deus uno ictu creavit tempus et spatium". Sine motu tempus et spatium non exstant. Nullus motus sine energia.

"In Deo cognoscendo primus gradus agitur per fidem, sed postea cetera ope rationis insequuntur". Hoc etiam me docebant Iesuitae Collegii ubi bona studia humaniora feci, sed his studiis vix perfectis, dum medicinae studerem, comperi inanitatem dogmatum mysteriis (ut Trinitati) nitentium. Miror quod tam bene scire videris quid sentiat et cogitet Deus. Magis humiliter me gero; confiteor me nescire, cur natus sim, sum ergo agnosticus, sed certe non atheista; summae enim superbiae est negare aliquam supremam potestatem Universum continuo creare.

Ea, quae dicis de familia humana, tantum sunt praecepta moralia christianismi, auctoritate Dei nitentia. Haec praecepta gentibus utilia erant tempore, quo homines frequentiores fieri volebant ad hostes superandos et Naturae ceteras creaturas domandas; ei, qui haec praecepta conceperunt, ea sua sola auctoritate imponere non valebant, quare divina auctoritas religionis erat necessaria; sed praecepta moralia nec non ficta Dei imago sunt humanae creationes. Decursu saeculorum status hominum in orbe terrarum mutatur; hodie tanta facta est hominum frequentia, ut vix omnes ali possint et homines tam bene Naturae creaturas domuerunt, ut magna earum pars iam disparuerit; ipsi aerem et terram inquinant et semper magis vivere coguntur superpositi in caeliscalpiis urbium magis magisque ingentium. In hoc novo contextu antiqua praecepta moralia potius nocent, quam iuvant.

De vera et tota aequalitate virorum et feminarum iam in *Melissa* saepius scripsi. Humana sexualitas consideranda est monente physiologia naturali, non praecepta obsoleta respiciendo.

Sat, ut opinor, patefecit opinionem hominum qui tantum rationi confidunt ut aliquid intellegant in Universo nostro. Apud eos tamen etiam est aliquid irrationale, ubi amor maximam partem habet.

In Terra sumus sola animalia, ut videtur, quae Natura conscientia sui dotavit; terribile donum, quod genuit amorem et mortis dolorem.

Agnosticismus meus non impedit, cum multa saecula Europaeae historiae christianismo imbuta sint, quin arbitrer eorum testimonia, sint praestantia monumenta vel tradita festa, non in oblivionem esse mittenda.

Tibi exopto faustum felicemque annum novum.

Cura ut valeas.

**HANC RESPONSIONEM
AD SYMBOLAM PAULI KANGISER**

SCRIPSIT

GAIUS LICOPPE

NESTOR

ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE

CHRONOGRAMMATA ROESSLERIANA

Helene Richter

* 4. August 1861 in Wien

† 8. November 1942 im Konzentrationslager Theresienstadt

Helene Richter war eine österreichische Anglistin,
Theaterwissenschaftlerin und -kritikerin.



HELENA RICHTER
 ANGLISTRIA AVSTRIACA
 OCTOGINTA ANNIS ANTE
 VI IDVS NOVEMBRES
 VRBE THERESIAE E VITA EGRESSA
 AETATIS LXXXI

MMXXII


Am 8. November vor 80 Jahren
 starb in Theresienstadt
 die österreichische Anglistin
 HELENE RICHTER
 im Alter von 81 Jahren.

Arnold Słucki

ursprünglich Aron Kreiner

* 15. April 1920 in Tyszowce

† 15. November 1972 in West-Berlin



ANTE QVINGVAGINTA ANNOS
 XVII KAL. XBRES
 ARNOLDVS SLUCKI
 POETA PRAECCELLENS LINGVAE POLONICAE
 BEROLINI OCCIDENTALIS
 E VITA EGRESSVS

MMXXII

Am 15. November vor 50 Jahren starb in West-Berlin
 der ausgezeichnete polnischsprachige Dichter
ARNOLD SŁUCKI.

Daniel Barenboim (* 15. November 1942 in Buenos Aires, Argentinien) ist ein argentinisch-israelischer Pianist und Dirigent. Er erhielt zahlreiche internationale Ehrungen und Auszeichnungen, einschließlich des deutschen Großen Bundesverdienstkreuzes. Er besitzt die spanische, argentinische, israelische und palästinensische Staatsangehörigkeit.



DANIEL BARENBOIM
CLAVICEN ILLUSTRIS
OCTOGINTA ANNIS ANTE NATVS

MMXXII

Der berühmte Pianist
DANIEL BARENBOIM
feiert seinen 80. Geburtstag.

Heinrich Schütz

(latinisiert „Henricus Sagittarius“)

* 8. Oktober ^{jul.} / 18. Oktober ^{greg.} 1585 in Köstritz
 † 6. November ^{jul.} / 16. November ^{greg.} 1672 in Dresden

Heinrich Schütz (in autographen Handschriften immer „Henrich“)
 war ein deutscher Organist und Komponist des Frühbarocks.



HENRICVS SAGITTARIVS VVLGO HEINRICH SCHUETZ
 ORGANISTA ET COMPOSITOR CELEBER TEVTONICVS
 ANTE TRECENTOS QVINQVAGINTA ANNOS
 XVI KAL. XBRIS OBIIT
 AETATIS LXXXVII

M M X X I I

Der gefeierte deutsche Organist und Komponist
 HENRICUS SAGITTARIUS, in der Volkssprache HEINRICH SCHÜTZ,
 starb am 16. November vor 350 Jahren im Alter von 87 Jahren.

Zu Lebzeiten wurde Schütz als „parens nostrae musicae modernae“, also „Vater unserer [d. h. der deutschen] modernen Musik“ tituliert. Wolfgang Caspar Printz erwähnt in seiner 1690 erschienenen Musikgeschichte, Schütz sei um 1650 „für den allerbesten Teutschen Componisten gehalten worden“. Auf seinem Grabstein wurde er als „seines Jahrhunderts hervorragendster Musiker“ („saeculi sui musicus excellentissimus“) bezeichnet. Trotz der Wertschätzung durch seine Zeitgenossen geriet er nach seinem Tod rund 200 Jahre lang in Vergessenheit.

José Saramago

* 16. November 1922 als José de Sousa Saramago in Azinhaga, Portugal
 † 18. Juni 2010 in Tías auf Lanzarote

José Saramago war ein portugiesischer Romancier,
 Lyriker, Essayist, Erzähler, Dramatiker und Tagebuchautor.
 1998 wurde ihm der Nobelpreis für Literatur verliehen.



ANTE VIGINTI LVSTRA
 XVI KAL. XBRES NATVS
 JOSÉ DE SOUSA SARAMAGO
 SCRIPTOR EXCELLENS LVSI TANVS

MMXXII

Der herausragende portugiesische Schriftsteller
 JOSÉ DE SOUSA SARAMAGO
 wurde am 16. November vor 100 Jahren geboren.

Obwohl sich Saramago als Pessimist bezeichnete und trotz mancher an Kafka erinnernden Situationen in seinen Romanen sind in seinen Texten immer auch Hoffnung, tief wurzelnder Glaube an das Gute im Menschen und in der Welt sowie Appelle an die Humanität zu finden. Häufig wird sein Stil mit dem „Magischen Realismus“ des kolumbianischen Schriftstellers Gabriel García Márquez verglichen, insbesondere wegen seiner Technik, historischen Persönlichkeiten in seinen Werken fiktive Figuren gegenüberzustellen.

Seine Romane spielen in verschiedenen historischen Epochen Portugals, wobei es sich aber nicht um historische Romane im eigentlichen Sinne handelt. Im Mittelpunkt steht meist das Verhalten und Bemühen einzelner Personen oder Gruppen (meist Angehöriger der unteren Schichten), mit einer für sie feindlichen Umwelt bzw. Gesellschaft zurechtzukommen.

Seine Romane haben teilweise surrealistische und märchenhafte Züge, beispielsweise wenn in „Die Stadt der Blinden“ nach und nach alle Einwohner einer Stadt mit Blindheit geschlagen werden. Diese Situation bildet den Hintergrund für eine Schilderung von allgemein-menschlichen Verhaltensweisen. So sind seine Protagonisten gleichzeitig individuelle Personen, die einen Entwicklungsprozess durchlaufen, als auch Charaktermasken, die für bestimmte Personengruppen stehen.

Quelle: Wikipedia

BASILIVS BESSARIO
 HVMANISTA AC CARDINALIS
 ANTE QVINGENTOS QVINQVAGINTA ANNOS
 XIV KAL. XBRES
 RAVENNAE VITA CESSIT

MMXXII

Der Humanist und Kardinal BASILIUS BESSARION
starb am 18. November vor 550 Jahren in Ravenna.



Bessarion (Taufname griechisch Βασίλειος Basíleios, lateinisch Basilius, Mönchsname griechisch Βησσαρίων Bēssariōn, lateinisch Bessario, italienisch Bessarione, fälschlich Johannes Bessarion bzw. Giovanni Bessarione; * zwischen 1399 und 1408 in Trapezunt im nordöstlichen Kleinasien; † 18. November 1472 in Ravenna) war ein byzantinischer Humanist, Theologe, Kirchenpolitiker, Diplomat, Redner, Publizist, Philosoph, Philologe und Übersetzer. Ab 1439 war er Kardinal, ab 1463 lateinischer Patriarch von Konstantinopel im Exil.

Erst in Italien erwarb Bessarion solide Lateinkenntnisse und erlernte die italienische Sprache. Schon bald nach der Emigration konnte er sich wie ein westlicher Humanist fließend lateinisch ausdrücken. Dabei bewährte er sich als guter, aber nicht überragender Stilist. Nach seinem eigenen Urteil war es für einen Griechen kaum möglich, mit derselben Gewandtheit wie die Italiener Latein zu schreiben.

Bessarion legte die größte Sammlung griechischer Handschriften im Westen an und schenkte seine kostbare Bibliothek der Republik Venedig. Er förderte das Bildungswesen und die altertumswissenschaftliche Forschung und gewährte bedürftigen Humanisten großzügige Unterstützung. Der Nachwelt blieb er in erster Linie als profilierter Platoniker und führender Repräsentant der griechischen Kultur im Westen in Erinnerung. Die moderne Forschung würdigt ihn als bedeutenden Gelehrten, der zwischen den Kulturen vermittelte und sich damit hohes Ansehen erwarb.

Quelle: Wikipedia

Marcel Proust

* 10. Juli 1871 in Paris

† 18. November 1922 in Paris



MARCELLVS PROUST
CELEBER SCRIPTOR FRANCICVS
VIGINTI LVSTRIS ANTE
XIV KAL. XBRES
LV TETIAE VITA CESSIT
AETATIS LI

MMXXII

Am 18. November vor 100 Jahren starb in Paris
der gefeierte französische Schriftsteller

MARCEL PROUST

im Alter von 51 Jahren.

Bruno Schulz

* 12. Juli 1892 in Drohobycz, Galizien, Österreich-Ungarn, heute Ukraine
 † 19. November 1942 im Drohobyczer Ghetto

Bruno Schulz war ein polnischer Schriftsteller, Literaturkritiker,
 Graphiker, Zeichner und Opfer des Holocaust.



BRVNO SCHVLZ
 DELINEATOR STIRPIS IVDICAE
 AC NOBILIS SCRIPTOR LINGVAE POLONICAE
 ANTE QVATER VIGINTI ANNOS
 XIII KAL. XBRES
 TELO TRAIECTVS

MMXXII

Der jüdische Graphiker und berühmte polnischsprachige Schriftsteller
BRUNO SCHULZ wurde am 19. November vor 80 Jahren erschossen.

Joseph „Joe“ Biden

* 20. November 1942 in Scranton, Pennsylvania

Joe Biden ist ein US-amerikanischer Politiker der Demokratischen Partei und seit dem 20. Januar 2021 der 46. Präsident der Vereinigten Staaten.



I O S E P H V S B I D E N V I R P V B L I C V S
P R A E S E S A M E R I C A E S E P T E N T R I O N A L I S
X I I K A L . X B R E S N A T V S
V I V A T S E N I O R O C T O G E N A R I V S

M M X X I I

Der Politiker JOE BIDEN, Präsident von Nordamerika,
feiert am 20. November seinen 80. Geburtstag. Er lebe hoch!

Hans Magnus Enzensberger

* 11. November 1929 in Kaufbeuren

† 24. November 2022 in München

Hans Magnus Enzensberger war ein deutscher Dichter,
Schriftsteller, Herausgeber, Übersetzer und Redakteur.



IOANNES MAGNVS ENZENSBERGER
 ILLVSTRIS SCRIPTOR POETA INTERPRES ET DIVRNARIVS
 VIII KAL. XBRES VITA CESSIT
 AETATIS SVAE XCIII
 R.I.P.

MMXXII


Der berühmte Schriftsteller, Dichter, Übersetzer und Journalist Hans Magnus Enzensberger ist am 24. November im Alter von 93 Jahren gestorben. Möge er in Frieden ruhen.

Pierre Soulages

* 24. Dezember 1919 in Rodez, Département Aveyron

† 25. Oktober 2022 in Nîmes

Pierre Soulages war ein französischer Maler und Grafiker. Er war neben Hans Hartung ein Hauptvertreter der abstrakt-ungegenständlichen Richtung der französischen Gegenwartsmalerei. Typisch für seine Kompositionen sind breite schwarze Balkenformen vor hellem Grund.



PETRVS SOVLAGES

ARTIS EXPRESSIVAE ABSTRACTAE ARTIFEX

NOBILIS PICTOR FRANCOGALLICVS

VIII KAL. NOVEMBRES VITA CESSIT

AETATIS SVAE CII


MMXXII

PIERRE SOULAGES war ein Künstler des „art informel“.
Der berühmte französische Maler starb am 25. Oktober im Alter von 102 Jahren.

Charles Schulz

* 26. November 1922 in Minneapolis, Minnesota

† 12. Februar 2000 in Santa Rosa, Kalifornien



LIBELL OS PIC TOGRAPHIC OS PERFE CIT

CAROLVS SCHVLZ

DESCRIP TOR N V BECVLATVS

A C PROCREATOR IN SIGNIS FIGVRAE CAROLI FVS CI

QVINQVIES VIGINTI ANNIS ANTE NATVS

M M X X I I

Er hat Comics gezeichnet.

Vor hundert Jahren wurde CHARLES SCHULZ geboren,
Comiczeichner und berühmter Erfinder von „Charlie Brown“.

**HAEC CHRONOGRAMMATA ARTIFICIOSE CONFECIT
TOBIAS ROESSLER**

ECHUS VOCES EPISTULAE

ALEXANDER HIPPOMYLIUS (*alias Sascha Roßmüller*)

Salve Nicolae Magne,

libenter consentio cum condicione nova. Narrationem quae "Fragrantia" inscribitur, mihi mittas, quaeso. Pecuniam, scilicet, transmittam. Nescio num facultas mea Latine scribendi tanta sit, ut verba mea intellegas. Veniam peto propter errores meos! Sed cum latine reddere incipere velim...legere facilius est scribendo vel loquendo... Gratias ago et optime habeas – vale! **Sascha Roßmüller** (Sonipesmolor¹ *subridens*)

d.03. m.Ian. a.2023 h.10:57

VEHEMENTER GRATIAS AGO! ORATIONES (MAX OTTE, SAHRA WAGENKNECHT: LIBROS EORUM LEGI) ME VALDE DELECTAVERUNT!!
OBITUARIUM MEUM LATINUM: DE MORTE BENEDICTI XVI (scopocinema²):

<https://gab.com/SaschaRossmueller/posts/109607970815049769>

ADMIROR FACULTATES VESTRAS LATINE LOQUENDI! MULTUM MIHI DISCENDUM EST... OPTIME VOS HABEATIS!

SASCHA ROSSMÜLLER (SONIPESMOLITOR *SUBRIDENS*)

d.03. m.Ian. a.2023 h.12:15

LEO LATINUS ALEXANDRO HIPPOMYLIO SAL.PL.DIC.

GRATIAS PLURIMAS, CARE ALEXANDER, QUOD NOBIS PROMPTE RESPONDISTI NECNON LATINE SCRIPSISTI. PECUNIA TRANSLATA TIBI LIBENTER MITTEMUS FRAGRANTIAM. NOVISTINE EPISTULAM LEONINAM 268? PLACETNE TIBI? VALE PANCRATICE, ALEXANDER MAGNE, ET CONDE IMPERIUM ORBIS TERRARUM LATINISSIMUM. MEDULLITUS TE SALUTAT LEO LATINUS

d.3. m.Ian. a.2023 h.15:53

Alexander Leoni s.

Epistula Leonina mihi valde placet – vehementer gratias ago! Imprimis translatio nuntiorum M.(axentii) Otte et S.(ahrae) Wagenknecht me delectavit, nam orationes eorum semper admiror. Conatus sum obituarium scribere Benedicti XVI deque eiusdem meritis latine loqui – si velis, vide et audi. (*Video with English translation*):

<https://gab.com/SaschaRossmueller/posts/109607970815049769> Vale.

Sascha/Alexander Alfredus Sonipesmolor

1 **Sonipesmolor*: Bonus Alexander (i.q. *Sascha*) laude dignus est, quod studet more humanistarum nomen suum vestimento Latino ornare, sed in novis verbis fingendis oportet strictê sequamur normas verba confingendi antiquas! Verba „sonipes“ (nomen equi i.e. „Roß“ poeticum) et „molitor“ (i.e. „Müller“) non licet hōc modo inter se coniungere. Ceterum brevitatis causâ et exemplo humanistarum confingo nomen graecanicum: „hippos“ est „equus“, „mylios“ est is, qui spectat ad molam sive molinam, i.e. „Müller“; cfr Hans Bahlow, Deutsches Namenlexikon, Familien- und Vornamen nach Ursprung und Sinn erklärt, Gondrom Verlag, Bayreuth 1980, p.347, s.v.: „**Mylius Humanistennamen für Müller** (zu gr. myle ‚Mühle‘)“. Itaque – pace Alexandri - dicamus *Roßmüller* Latinê ***Hippomylius**.

2 **scopocinēma*, -atis n. *Video(film)*. cfr **scopocinēmatium*, -ī n. (*deminutivum*) *Videoclip*.

d.3. m.Ian. a.2023 h.16:30

Leo Alexandro s.

Eximiê laudo obituarium Benedicti a te Latinê scriptum et recitatum. Voce tuâ forti clarisonâ sollemni êdis verba dignissima. Permittas quaeso, ut adnotem te (quantum audivi) syllabas 5 verborum parum rectê acuisse: eru'ditus (non: e'ruditus) - 'cathedra (non: ca'thedra) - volu'erunt (non: vol'luerunt) - 'fidei (non: fi'dei, cfr Rubenbauer, §34,3: "Der Stammaslaut wird im Gen. und Dat.sg. nach Konsonant gekürzt (L 26): 'fidei, aber di'ei".) - condi'to:ris (non: con'ditoris) Haec hactenus. Sed dicas mihi: esne theologus? Vidêris mihi doctrinae Benedictinae optimê peritus esse. Vale semper pancraticê, mi care Alexander, exspecta FRAGRANTIAM et perge mihi favere. Medullitus te salutat **LEO LATINUS**

d.03. m.Ian. a.2023 h.17:02

Alexander Leoni s.

Gratias ago, quod syllabas correxisti. Theologus non sum. Ut verum confitear, inclinatio sum ad philosophiam paganam et aestheticam antiquam, sed nihilominus semper honoravi eruditionem admirabilem Papae emeriti et fidem eius quoad mores, qui referunt ad valores traditos. Non facile erat et semper non facile est latine scribere, praesertim cum comparem usum huius linguae antiquae cum modernae; hoc mihi tam laboriosum est quam fuit exercitium illud scholare iam pridem transactum, quo mihi Latina verba in theodisca fuerunt convertenda ... Modo demum coepi hoc facere...qua de causa debeo tam animosus esse, ut commercium habeam Latine scribendi cum magistris tam doctis... Sed credo et spero me facturum esse progressus discendi optimos, si quidem sine ullo timore mendorum iterum iterumque conatus ero Latine scribere. Vale! **Sascha.**

d.03. m.Ian. a.2023 h.20:44

Leo Alexandro s.

Tuam navitatem valdê laudo teque adhortor, ut pergas studere sermoni Latino vivo colendo. Tu ne cede malis, sed contra audentior ito! Pancraticê vale et perge favere. **Nicolaus Leo Latinus**

d.04. m.Ian. a.2023 h.14:16

LEO LATINUS ALEXANDRO HIPPOMYLIO SAL PL.DIC.

GRATIAS PLURIMAS, CARE ALEXANDER, QUOD NOBIS PRETIUM FRAGRANTIAE IN COMPUTUM TRANSFERENDAM CURASTI (...). FRAGRANTIAM TIBI MITTEMUS QUAM MATURRIME. PANCRATICE VALE ET PERGE NOBIS FAVERE. MEDULLITUS TE SALUTAT **LEO LATINUS**

ANSGARIUS OSLOENSIS

d.4. m.Ian. a.2023 h.23:14

Nicolaus Ansgario suo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Ansgari carissime, in novum annum optima quaeque tibi exopto! Spero te annum MMXXIII faustis ominibus incohavisse. Accepistine Leoninas meas: nataliciam (EL 267) et silvestrianam (EL 268)? De his aliisque scribas, quaeso, quidquid tibi in

buccam venerit. Pancraticê vale et perge mihi favere. Medullitus te salutat Nicolaus
Leo Latinus

d.05. m.Ian. a.2023 h.17:05

Salvus sis Nicolae!

Tibi etiam annum novum et faustum precor! Nec sine laetitia epistolas leoninas, nataliciam iuxta et silvestrianam, perlegi. Imprimis placuit textus de nucifrangibulo. Namque absque acumine et summa doctrina non licet disserere de artefactis et rebus humilioribus, quae cottidie ad usum adhibentur. Me excusatum habeas, quod segniter epistulis leonis responderim, quippe qui his diebus, pigritia gliscente, domum me contulerim, testudinum more me abdens, et coetus hominum pariter ac solem fugiens. Cum gravedine laborarem, ut solet fieri his temporibus, et lentis febribus detentus, ne ad grapheum quidem me contuli. Nihilo secius tristem nuntium accepi, scilicet de morte papae emeriti Benedicti decimi sexti. Homunculus fuit sat doctus, et christianus sincerus, quem latratores ac maledici fautores sinistrarium partium acerbè insequabantur ut nazistam et inimicum libertatis perpetuum! In nonnullis autem actis diurnis iuris publici facta est epistula eius valedictoria, pulchra et plena dignitatis, ut quidem sentio. Homines ad fidem colendam hortatur, et dicit Ecclesiam Christi esse corpus. Attamen, haud scio an Ecclesia Catholica iam non sit Ecclesia Christi. Papa enim Franciscus, procul dubio pessimus omnium paparum, et scortatoribus et ebriosis aetatis litterarum renascentium prorsus postponendus, potius speciem politici prasino-communistici prae se fert quam sacerdotis. Si bene intellexi, hoc anno magnum opus tuum, scilicet Orbem pictum hexaglottum in luce editurus es. Quod non minus voluptati quam utilitati omnibus cultoribus linguae latinae erit. Haec confestim, et calamo festinante! **Taurice te salutat Ansgarius.**

d.05. m.Ian. a.2023 h.18:20

Nicolaus Ansgario suo sal.pl.

Elato animo, Ansgari carissime, accepi litteras tuas post commercium nostrum litterarum nimiâ pausâ interruptum. Gaudeo quoque legens tibi placere etiam artefacta et res humiliores Latinê descriptas. Nam multi auctores Latini erraverunt et errant quod credunt non decere Latine loqui nisi de rebus altissimis et excelsissimis. Nam talia nemo Latinê loquens scit sat aptê et decôrê describere nisi scit etiam loqui de humilioribus. Qui de fundamentis alicuius domûs nescit loqui, quonam modo îdem satis decorê dicat de parietum et tectorum decoramentis quamvis partibus omnium pulcherrimis (nisi eadem cellulis photovoltaicis foedata sunt a Prasinorum prole pravissimâ)? - Quod quereris de gravedine, deque pigritiâ et more tuo testudineo, valdê vehementerque spero hoc malum Latino commercio epistularum mitigari, immo sanari posse. - Miror, quod tantâ cum inflammatione animi loqueris de duobus Pontificibus Maximis, quorum alterum laudas Latinitatis et doctrinae necnon christianitatis sinceræ causâ, alterum *prorsus postponis* et ipsis *scortatoribus et ebriosis aetatis litterarum renascentium*. Quibus verbis animi tui inclinationem mihi

novam pandisti. Gratias. - Doleo, quod nondum accepi *epistulam Benedicti valedictoriam*, quam affirmas *pulchram et plenam dignitatis esse*. Habesne in promptu? Rogo ut - ni nimis molestum hoc est - mihi mittas. - Heri accepi litteras Latinas a quodam viro, qui "*irretivit*" (ut ego soleo dicere - nescio, num tibi placeat haec locutio interretialis a me novata -) oratiunculam Latinam in memoriam Papae Latinissimi defuncti. Audi et specta, care Ansgari, - et iudica ipse: <https://gab.com/SaschaRossmueller/posts/109607970815049769> --- Mittas mihi Benedicti valedictionem et scribas mihi quid sentias de allocutione Alexandri Hippomylii (qualem appello "*Sascha Rossmüller*", i.e. laudatorem Papae Latinissimi) deque Pontificibus Maximis quaecumque tibi in buccam venerint. Vale semper pancraticê neque umquam desine Latinê loqui et scribere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

d.06. m.Ian. a.2023 h.16:17

Salvus sis Nicolae!

Alexandro Germanico assentior. Papa Benedictus, qui suavitatem morum ad litteras reconditas adiungeret, non magis doctrina quam humanitate praecelluit. Quod cum ita sit, abdicare minime debuit. Nam successor eius, marxista ille Rioplatensis, prominuli ventris oculisque caninis, maximam Ecclesiae calamitatem molitur, ut decet non modo Christi Regis, sed omnium deorum infitiatorem. Neminem autem fugit, regnum Dei nec terminis terrenis, nec ecclesiasticis circumscribi. Qua de causa, has curas inanes ac mundanas excutiamus, necesse est. Pater purpuratus, vel cardinalis, optimus mihi videtur Robertus Sarah Guianensis, nam non omnes episcopos Africanos lascivia morum et vitae licentioris nimietas prorsus depravavit, et ad vitia nefanda, id est ad rem publicam capessendam, impulit. Haud raro fit, ut Cardinalis Robertus Sarah de Deo et de doctrina christiana docte, et non absque prudentia, disseratur. Haec quidem breviter et confestim. Nunc catus Pius est pascendus, qui scilicet, si Summus Pontifex crearetur, Pius tertius decimus vocaretur. - Basilice te salutat **Ansgarius**

JOANNES CAROLUS ROSSI MEDIOLANENSIS

d.03. m.Ian. a.2023 h.11.16

Joannes Carolus Nicolao s.

Si quis, mi Nicolae, vix epistula leonina tua perlecta, statim aliquid rescribit, te valde jucundari video, quasi labores tui amicorum epistolis compensati mitigentur. En igitur habeas nonnulla, quae veluti felix omen, ne dicam felicionem, in hunc annum novum accipias velim. - Praetermissa re politica, qua satis et abunde cotidie excruciar solemus..., pauca tecum de verbis novis vel inusitatis agam. - Primum fateor me valde delectatum esse *felicionis* vocabulo, quod Petronianae Scintillae callide suppilasti, quoque lubenter utar una cum amuleto. Ceterum felicionis, furente bello et pestilentia ingruente, omnes homo indigere videmur. - Probo etiam maxime *pentapoma*, quod samscriticam repetens radicem, confinxisti. Usus vocabulum confirmabit, quod

pridem alii aliter reddiderunt - caldam odoratam, caldam aromatis conditam, caldam quinque elementorum potionem, ut vult Baccius cardinalis, describens, magis quam designans - sed tu suo proprio nomine appellasti, ut par est, ne in ambagibus deeremus. Inter elementa autem quibus potio conficitur, indicasti *arracium*, quod pomum antiquitus e plagis Orientis solis invectum variis innotuit nominibus, uti sunt malum arantium, citreus Medicus, pomum Sinense cetera, sed idem Antonius Bacci suadet ut appellemus arantium. Equidem, verum ut fatear, etymo populari indulgeo et aurantium soleo hoc mirabile pomum appellare. Nonne enim aurei coloris est? Oportet demum subjungam me puero pentapoma apud Italos "ponce" more Gallorum scribi sed a popello Quiritium more Italicorum ita enuntiari ut scriptum est. - Relicuum est ut de *martipane* meam sententiam aperiam. Initio non intellexi qua de re egeris: an de panis genere mihi ignoto sed in deliciis apud Germanos, quod forte diebus Martis vel mense Martio conficitur aut a Marte deo nuncupatur? Tum e sermonis contextu conjeci agi de cuppediis, omnium suavissimis mihi maxime salivam moventibus, quae constant ex amygdalis friatis, saccharo, ovorum albumine. Vicipaedia deinde me monuit etymon vocabuli esse in controversia apud studiosos: alii enim repetunt, ut tu, *panem Martium*, alii *massam panis vel Panis dei*, alii arabicum *mawthaban* apud Venetos mutatum in *matapanum*, alii Persicum *Marzban*: quot capita, tot sententiae, neque commentaria inter se consentiunt, sed modo hoc modo illud etymon potius habent, prout hac vel illa lingua sunt conscripta. Equidem nescio quo me vertam, tuaque industria egeo, sed submisce suadeo ut *panis amygdalinus* appelletur, quo facilius intellegatur ejus natura. - Haec in praesenti, jam satis multa... **Vale pancratice, Nicolae!**

d.03. m.Ian. a.2023 h.11.16

Nicolaus Joanni Carolo suo sal.pl.

Pro considerationibus tuis etymologico-semanticis, care amice, gratias plurimas! - De vi et etymo duorum verborum quae tractas, statim pauca tibi scribam (plura, si volueris, postea libenter supplebo):

1) "+arracium" non est nomen fructûs notissimi, quod dicitur mâlum Sinicum sive +aurantium sive (rectius) +ārancium.

(ducitur e sanscrito नारङ्ग *nāraṅga* - arabicê نَارَنْج *nāranj* - persicê نارنگ *narāng* - hispanicê *naranja* - italicê *arancia*); in Latinitate mediaevali *aurantium* est exortum per etymologiam popularem (per associationem cogitandi, quae spectavit ad 'aurum'). Carolus Linnaeus magnus Suetus hanc formam nominis accepit nomenque fecit speciei botanicae: *Citrus aurantium*.

2) Nomine q.e. "+arracium" volui nuncupare liquorem alcoholicum anisatum; nomen ducitur ex sermone arabico:

<https://it.wikipedia.org/wiki/Arak>: Etimologia: La parola arak deriva dall'arabo 'araq عرق, che originariamente significava "traspirazione" e ora ha assunto il significato di "distillato". L'arak non deve essere confuso con il quasi omonimo *arrak*, *acquavite* prodotta dalla fermentazione di vari elementi come [melassa](#), [cereali](#) e del [vino di palma](#) da [dattero](#) e diffuso principalmente in [Estremo Oriente](#) ([Malaysia](#), [India](#) e [Sri Lanka](#)) e in [Medio Oriente](#). L'arak è invece prodotto distillando succo

d'uva e aggiungendo grani d'anice. Non va inoltre confuso con l'aragh, che in Armenia, Iran, Azerbaigian e Georgia è il nome colloquiale della vodka.

Arak oder **Araq** (arabisch عرق, DMG 'araq, „Schweiß“) ist ein klarer, ungesüßter Anisschnaps. Er wird begrifflich oft verwechselt mit Arrak, dem wesentlich süßlicheren Reisbranntwein, der in Indien, Sri Lanka, Südostasien und auch Russland verbreitet ist.

L'arak, anche araq o latte di leone[1], (in arabo: عرق) è una bevanda alcolica tradizionale prodotta e apprezzata nella Mezzaluna fertile, molto diffuso in Libano, in Siria, in Iraq, in Giordania, in Palestina e in Israele.

Incolore, dallo spiccato gusto di anice, ha una gradazione alcolica compresa tra il 30% e il 60%[2]. Viene solitamente servito allungato con acqua e ghiaccio in piccoli bicchieri[1].

Etimologia. La parola arak deriva dall'arabo 'araq عرق, che originariamente significava "traspirazione" e ora ha assunto il significato di "distillato". L'arak non deve essere confuso con il quasi omonimo arrak, acquavite prodotta dalla fermentazione di vari elementi come melassa, cereali e del vino di palma da dattero e diffuso principalmente in Estremo Oriente (Malaysia, India e Sri Lanka) e in Medio Oriente. L'arak è invece prodotto distillando succo d'uva e aggiungendo grani d'anice. Non va inoltre confuso con l'aragh, che in Armenia, Iran, Azerbaigian e Georgia è il nome colloquiale della vodka.

3) Cavendum est, ne hoc potulentum alcoholicum anisatum potius arabicae originis confundatur cum:

a) altero potulento alcoholico oryzaceo potius indicae originis:

Differenza con l'Arak: L'arrak non deve essere confuso con il quasi omonimo Arak, un distillato d'uva con grani d'anice originario del Libano e diffuso in tutto il medio oriente.

<https://it.wikipedia.org/wiki/Arrak>:

Arrak o a volte anche **arrack** è una bevanda alcolica di tipo acquavite, derivante dalla fermentazione di vari elementi come melassa, cereali e del vino di palma da dattero. [1]

È diffuso principalmente in Asia Meridionale (Malaysia, India e Sri Lanka) e in Medio Oriente, dove viene prodotto, pur essendo usato in tutto il mondo, soprattutto in nord Europa (Finlandia, Germania e Svezia).

b) genere quodam pannorum, quod Latinitate mediaevali dicitur +arracium (ducitur a nomine urbis Francogallicae "Arras")

https://www.koeblergerhard.de/Fontes/Luebben_MittelniederdeutschesHandwoerterbuch1888.pdf:

"arrasch, -ras, arresch, -res (nrsch, ardesch), eine Art dünnes, wollenes Gewebe, nach dem Fabrikationsorte **Arracium (Arras)** benannt; arracium, panuns atrebaticua; jetzt: Hauch."

https://www.koeblergerhard.de/Fontes/Luebben_MittelniederdeutschesHandwoerterbuch1888.pdf:

"arners dünnes wollenes Gewebe, Tuch, nach dem Herstellungsort Arras, **Arracium** genannt."

https://lexika.digitale-sammlungen.de/adelung/lemma/bsb00009133_6_0_273: "**Der Rasch.**, [939-

940] des -es, plur. doch nur von mehrern Arten oder Quantitäten, die -e, **ein leichtes und geringes Gewebe aus Wolle, welches locker ist, und besonders von gemeinen Leuten getragen wird.** Ob

dieses Gewebe ein Zeug oder ein Tuch zu nennen sey, ist unter Zeug- und Tuchmachern sehr oft gestritten worden, indessen haben an den meisten Orten die ersten Recht behalten. Kronrasch, Krämpelrasch, Tuchrasch oder Walkrasch. Satin-Rasch u. s. f. sind Arten dieses Zeuges. Anm. Der Name dieses Zeuges, welcher im Niederdeutschen Raß, im Franz. Ras, im Engl. Rash, und im **Ital. Rascia** lautet, ist von vielen von rasmus und dem Franz. raser abgeleitet worden, weil man keine Haare auf demselben siehet. Allein er stammet ohne allen Zweifel **von dem Nahmen der Stadt Arras in der Grafschaft Artois** her, wo dieser Zeug zuerst verfertigt worden, indem derselbe in den vorigen Jahrhunderten beständig Arras, Arrasch, Harras lautet, woraus Rasch nur verkürzt worden, so wie man aus Hospital Spital, aus Emplastrum Pflaster u. s. f. gemacht hat. Geschnittene Hosen mit Arrasch durchzogen, heißt es in der Rostock. Kleiderordnung von 1585 bey dem Frisch, und eben daselbst, in der Nachricht von Nürnberg, vom Jahre 1707: Anno 1530 kamen die

Arasweber erstlich nach Nürnberg, das Gewebe desselben aber war schon bekannt. Auch **im mittlern lat. ist Arras und Arracium eine Art wollenen Gewebes.** Rasch bedeutet also eigentlich ein zu Arras verfertigtes oder erfundenes Gewebe. Da man in dieser Stadt die Niederländischen Tapeten sehr früh zu einer besondern Vollkommenheit brachte, so werden dergleichen mit Figuren gewirkte Zeuge und Tapeten **im Ital. noch jetzt Arazzi genannt, und die Atrabaticae vestes Atrabatica saga, Atrabatici birri, bey dem Pollio, Suidas und andern, sind vermuthlich auch nichts andres; von dem alten Nahmen der Stadt Arras Atrebatum.** Ja noch in einigen Oberdeutschen Gegenden werden mit Gold und Silber gewirkte Zeuge und Tapeten Goldrasch und Silberrasch genannt. Im Bremischen ist Raßmerock eine besondere Art Zeuges, welche halb wollen und halb seiden ist. [941-942]

4) Clarius et distinctius scripsissem "vinum anisatum" aut "liquor anisatus".

5) Italicê marzapane, theodisce Marzipan. Nomen "*martipanis", quod vituperas, invêni in fonte satis vetusto:

Johann Christoph Sommerhoff, Lexicon pharmaceutico-chymicum latino germanicum et germanico-latinum, Norimbergae 1713, p.273:

"Panis Martius, Pasta Regia, *Martipanis* & Massa Panis. Praeparatur ex Amygdalis decorticatis contusis, cum s.q. Sacchari pulverisati lento igne s.a. in Massam. Germ. Marzypan. vid. Martius. " op.mem., p.228:

"Martius, dicitur 1 mensis, in quo aequinoctium vernalis esse solet, 2. *de Confectione gratissima polytropa, quae Martius Panis, Marti Panis, Massapanis etiam vocatur.* Jul.Alex.L.20. Sal.cap.16. Morell.de Form.rem.L.1.Sect.3.c.2. Vid. Panis Martius. -- Martius panis, Martipanis & Massapanis vid. Martius. Germ. *Marcipan.*"

6) Tu suades, ut adhibeamus nomen, q.e. panis amygdalinus; in oratione sollemni aut in carmine lyrico, ubi nimia subtilitas parum placet, licet tuum nomen adhibere; sed ibi, ubi res accuratius est appellanda (e.g. in rebus coquinariis et cuppedinariis), cave, ne pares tibi lectum Procrustêum. Vide e.g. panes in his sitibus interretialibus, qui dicuntur theodisco sermone "Mandelbrot", i.q. panis amygdalinus:

<https://www.chefkoch.de/rs/s0/mandelbrot/Rezepte.html>

(italice "cantuccini": <https://it.wikipedia.org/wiki/Cantuccio>)

<https://www.youtube.com/watch?v=JgV2mWVoyK4>

Mandelbrot einfach und schnell selber backen

<https://www.chefkoch.de/rezepte/792701182762193/Italienisches-Mandelbrot.html>

Vides talem panem esse omnino aliam rem ac "marzapane"!

<https://www.cookist.it/marzapane-la-ricetta-originale-siciliana-per-prepararlo-a-casa/>

<https://www.youtube.com/watch?v=i8Kq4wfaEfA> MARZAPANE O PASTA REALE Facile Fatto in casa

Omnino alia res dulcis est i.q. quod anglice dicitur: "almond bread" (i.e. "panis amygdalinus"):

<https://www.youtube.com/watch?v=Y0qcQOU5eKs> Almond Bread

Haec hactenus.

Scribas mihi quaecumque tibi in buccam venerint. Litterae tuae mihi semper sunt gratissimae. Pancraticê vale et perge mihi favere. Medullitus te salutat

Nicolaus Leo Latinus

RADULFUS LAVALLE ARGENTINUS AEROPOLITANUS

d.03. m.Ian. a.2023 h.14.45

Carissime Nicolae,

heri legi quae non legeram ex priori epistula. Semper laudo eruditionem vestram...

necnon Mauri Pisini poeticam venam. Tuus, **Radulfus**

p.s. Gaudeo meo nuntio poético CARMINA HODIERNA. Hoc modo non tam longinquus a claris latinistis, ut vos estis, sum.

d.04. m.Ian. a.2023 h.20.22

Nicolaus Radulfo suo Bonaeropolitano sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Radulfe carissime, in novum annum optima quaeque tibi exopto! Spero te annum MMXXIII faustis ominibus incohavisse. Summas gratias tibi ago pro Carminibus Hodiernis. Utinam legantur a Latinophilis quam plurimis! Accepistine Leoninas meas: natalicium (EL 267) et silvestrianam (EL 268)? - Nunc tibi filiaeque tuae commendo cinema in Hispaniâ confectum, quod spectat ad pandemiam ficticiam. - Argumentum est dolorosum, sed gravissimum: Pro certo habeo interdum nos homines neque rationem neque salutem posse adipisci nisi doloribus. In hōc cinemate multi scientistae variarum nationum interrogantur, quos disciplinae suae esse peritissimos pro certo habeo. - Sed nullo modo tibi filiaeque tuae dicam, quid debeatis sentire de argumento. Adversus multa incommoda, quae in hōc cinemate demonstrantur, unum mihi commodum apparet: haematologia in dies fiet maioris momenti; nam permultorum hominum sanguis erit perquirendus. Ergo filia tua de paenuriâ occasionum artis suae exercendae, i.e. de disoccupatione non lamentabitur. Sed de argumento cinematis tu tuaque filia, iudicate, quaeso, ipsi et quidquid vobis in buccas venerit, scribas mihi. Recordare verba libri Eliae:

BUTYRUM ET MEL COMEDE, UT SCIAS REPROBARE MALUM ET ELIGERE BONUM. Haec hactenus, mox si volueris, plura. Utinam annus novus tibi procedat faustê feliciterque! Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus

https://odysee.com/@thebigreset:1/20220831_TBR_ESP:1 THE BIG RESET MOVIE (ESP)

d.05. m.Ian. a.2023 h.23.22

Doctissime Leo Latine,

quid dicere potero de scientia tua aliorumque sapientium qui paginas tuas implent? Tota Epistula plena doctrinae est. - Unum inter multa: ignorabam vocem FELICIONEM. - De rebus politicis, longe absum a terra PRIMI MUNDI, ut ita dicam, sed mea sententia vos, Germani, pandyselectriam vitabitis, quoniam laboriosi atque mente acuti estis. - De Domina Sahara, certe pulcherrima est. Eius systema oeconomicum non novi sed non mihi placet quod saepe SINISTRA vocatur, etsi Europaea sinistra non tam mala quam nostra latinoamnesicana est. Non mendum commisi: non LATINOAMERICANUM dixi sed – AMNESICANUM, quia persaepe contra deam Lethen peccamus erroresque nostros iteramus hac in mundi parte; praesertim in patria mea Argentina. - Res incredibilis putatu est mihi scientiam, quae in tua EPISTULA invenitur, accipere. Bonum annum vos omnes habeatis. Amat vos

Leo Latinus Radulfo suo Bonaeropolitano sal.pl.

Sanê pulchrum epistolium mihi scripsisti. Plurimum mihi placet lusus verborum facetus: latinoamericana - latinoamnesicana. Sed constat politicos ubique terrarum haud raro bibere aquam illius fluminis obliviosam. - E.g. cancellarius noster (cui nomen est *Scholz*) negotiis argentariis obscuris implicatus iam toties coram iudicibus contendit se non posse recordari rem gravissimam, ut quidam satiricus confingeret novum verbum theodiscum temporale, q.e. **scholzen*, i.e. recordari non posse. Îdem ioculator dixit se proximâ vice autocinetum gubernantem, si commisisset delictum aliquod (e.g. nimis celeriter vectus esset aut falso loco vehiculum suum statuisset) et a biocolytâ deprehensus esset, se n o n poenam luiturum (i.e. pecuniam soluturum) esse, sed "*scholziaturum*" (i.e. cancellarium imitaturum) esse eo, quod se ipsum excusaret obliviositate suâ. Si nos cancellario credimus eum tantâ amnesiâ esse affectum (quod vix credibile est), quid restat nisi ut quaeramus: quonam modo fieri potest, ut vir tam obliviosus fungatur munere totius nationis praestantissimo? Sed quis tam simplici animo est, ut confidat verbis alicuius politici? Tamen sunt in tantâ catervâ corvorum nocte nigriorum quaedam aves albae: in talium numerum sine ullâ dubitatione refero *Sahram* nostram: ex eius dictis factisque per longum tempus cognitis atque observatis licet concludere eam mulierem politicam munere suo non fungi avaritiae aut dominandi cupidinis causâ, sed sincerâ voluntate saluti civium prospiciendi... Ne politici quidem sunt omnes eiusdem farinae: etiam in istorum catervâ sunt quaedam exceptiones laudabiles. Talis est *Sahra*. Quae est anima candida. - Haec hactenus, Radulfe carissime. Adversus mala aetatis nostrae vive feliciter. Deus faxit omnipotens, ut distinguere sciamus inter mala sanabilia et insanabilia. Sanabilia oportet sanemus quam prudentissimê atque sedulissimê. Insanabilia autem, care amice, animo aequo feramus quam constantissimê. Pancraticê vale, et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Leo Latinus**.

IOHANNES MARIA LOGODAEDALUS

d.4. m.Ian. a.2023 h.23:19

Nicolaus Logodaedalo suo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Logodaedale carissime, in novum annum optima quaeque tibi exopto! Spero te annum MMXXIII faustis ominibus incohavisse. Gratias tibi ago pro litteris tuis ex Aurifodinâ tuâ haustis. Accepistine Leoninas meas - nataliciam (EL 267) et silvestrianam (EL 268)? De his aliisque scribas, quaeso, quidquid tibi in buccam venerit. Pancraticê vale et perge mihi favere. Medullitus te salutat

Nicolaus Leo Latinus

d.7. m.Ian. a.2023 h.15:12

Jōhannēs Maria "Logodaedalus" Nīcolāo s.p.d. s.v.b.e.e.q.v.

Magnō accēnsus studiō epistulās tuās CCLXVII et CCLXVIII accēpī et lēgī. Symbolā dē pentapōmatologiā maximē fructus sum, quamquam ut vērūm dīcam

numquam illam pōtiōnem bibī. Nec licuit praeterīre epistolās cordoliō plēnās dē Pontificis Ēmeritī Benedictī XVI obitū, nam latīnitātis fautōrēs in diēs vānescunt. Cūrā ut valeās!

d.07. m.Ian. a.2023 h.19:12

Nicolaus Iohanni Mariae s.

Gratias pro epistolio, care Logodaedale! Ceterum miror de industriā tuā prosodicā. Plerique Latinē scribentes omnino non indicant quantitates; equidem quantitates vocalium indicare non soleo nisi ibi, ubi utiles sunt ad textum intelligendum (e.g. ut desinentias casuum et numerorum et adverbiorum aut significationes verborum inter se discernam). Omnes quantitates alicuius verbi aut textūs indico tantummodo, si agitur de rebus phoneticis aut metricis aut lexicographicis (quas hoc tempore plurimum tracto). Quid de te? Visne omnibus in verbis Latinis, quae scribis, praestare te tam diligentem? Nonne tibi talis subtilitas quamvis laudabilis nimis molesta est? Sed quid de secundi praenominis tui paenultimā (-i-)? Nonne est longa? Quomodo pronuntias nomen Matris Dei? Acuisne antepaenultimam? *Albertus Sleumer (Kirchenlateinisches Wörterbuch, Limburg an der Lahn 1926, p.499, s.v.)* indicat -i- longum. - Et quid de verbis q.s. *fructus* et *vānescunt*? Quare in iis non indicas vocalem paenultimae esse longam? - Minimē te reprobō, sed quaero ex te quadam curiositate inductus. Non possum quin industriam tuam et diligentiam subtilissimam vehementer laudem. - Denique tibi suadeo, ut occasiunculam nactus gustes pentapoma. Postea mihi scribas, utrum sapuerit necne. - Haec hactenus. - Pancraticē vale, mi Logodaedale Latinissime. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus.**

d.07. m.Ian. a.2023 h.19:50

Jōhannēs Mariā Nīcolāō s.

Grātiās tibi agō prō reprobātiōne benignā. Nōnnūllōs sodālēs nōvī quī quantitātēs indicant et ipse Marte meō idem exercitium taediōsum facere cōnor ut eās discam et facilius carmina scribam, sed ēheu, ut lēgistī, multa menda adhūc committō. Valē!

d.07. m.Ian. a.2023 h.21:14

Nicolaus Iohanni Mariae s.

Placet mihi studium tuum flagrantissimum! Perge quo coepisti. Vale semper, NLL.

NAEVIUS SARTORIUS

d.05. m.Ian.2023 h.09:10

Gratias tibi ago. Spectavi (*sc.cinema*). Multa iam scimus, sed multa nova sunt. Quod attinet ad nanotechnologiam - denuo perterritus sum. Facultates huius scientiae - et horribiles et bonae - infinitae esse videntur. Medullitus te salutat **Naeivius.**

d.05. m.Ian.2023 h.10:34

Nicolaus Naevio s.

Retractatio (ut ita dicam) pandemiae ficticiae et fraudulentae videtur paulatim et gradatim accelerari; restat nobis quaedam spes istius sceleris ingentis et inexauditi puniendi. Sed timeo, ne defuturi sint iudices et accusatores publici aequi et incorrupti. Nam firmissima est communitas culpae et sordida sodalitas, et notum est quomodo Siculi sicarii Societatis Honorabilis (qualem dicunt) efficiant i.q. dicunt *omertà*: nulla caedes committitur testibus aut mortuis aut participibus; qui particeps fuit, non erit proditor; ut est apud Lucanum: *Facinus quos inquinat aequat*. Haec hactenus, mox certê, si volueris, plura. Vale semper pancraticê. N.

d.05. m.Ian. a.2023 h.22:29

Nicolaus Naevio Sartorio Coracopolitano Augustensi sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Care Naevi, iamne accepisti nuntium a Köppelianâ domo editoriâ Turicensi SEPTIMANAE MUNDANAE??? Nos - uxor et ego - tibi donamus subnotationem gratuitam 5 septimanarum. Nuper mihi scripsisti te n o n d u m subnotavisse (subnotare i.q. abbonieren) hoc periodicum hebdomadale. Spero te non interim subnotasse. Sed si tamen ita est, dona, quaeso, amico alicui sanâ mente illuminatâ praedito, qui cupiat talia legere. Scribas mihi, si acceperis nuntium a Köppelianis scriptum. Vale semper, medullitus te saluto NLL

d.06. m.Ian.2023 h.00:21

Naevius Nicolao s.

Gratias maximas vobis ago, respondebo tibi cras. Adhuc illud periodicum hebdomadale non subnotavi; nuntium a Köppelianis non accepi. Vale semper VN

d.06. m.Ian.2023 h.00:13

Care Nicolae, mihi placuit scribere tibi de rebus quibusdam cottidie (domi) a me animadversis. Eo tempore nos ambo saepe loquimur de perceptione pandemiae, de perceptione condicionis rei publicae praesentis, de perceptione mediorum nostrorum optimae qualitatis. Arbitror illam fabulam Platoniam de spelunca adhuc valere; nemini vere dicere licet se habere veritatem summam; immo: loquentes de veritate semper de eius perceptione loquimur. - Sed quid de perceptione puerorum et puellarum? - Scis mihi filium XIII annorum esse, puer nunc media in pubertate est; certe, non ignoro hanc aetatem tempus rebellionis esse; non ignoro iuvenes res multas alio modo agere velle quam parentes. Non ignoro saepe rebellionem finem ipsum esse; commutatis verbis: iuvenes et puellae rebellant rebellionis causa. - Haec omnia certe non sunt nova. Sed quid cogitant de orbe terrarum, de classe politica praesenti, de pandemia? Soleo rogare eos, studeo saepe disputare cum eis. Quid inveni? Dubitationesne? Cogitationesne criticas? Immo inveni ideas eorum maxime cum moribus praesentibus consentaneas esse; adulescentes se accommodare ad spiritum temporis. Accommodatio ipsa iuventutis in hac re mihi valde displicet, expectationem meam decipit, ut confiteri debeo. Nonne vero rebellare volunt? Nolle videntur. Narrationibus vigentibus credere velle, moribus vigentibus assentiri

videntur. - Exemplum parvum dabo. Festo Natalicio filius vituperavit aviam: Demonstravit ei musicam suam amatam (obiter addo eandem esse horribilem rudemque, quae dicitur „*Deutsch-Rap*“). Avia audiens istos modos musicos fortuito respondit: „aliquatenus sonat Turcicum“ (dixit „*irgendwie türkisch*“); filius de his verbis indignatus dixit verba aviae redolere *phyletismum*. Mihi autem ista verba filii valde displicuerunt. Studebam filio explicare talem definitionem phyletismi in disputationibus nihil prodesse, hanc definitionem modum excedere. Meas dubitationes recusavit. O tempora! Scilicet etiam putet Alternativam factionem *picis et sulphuris* esse. Ceterum arbitratur iniquissimum esse opinari Berolinenses perturbationes Silvestrianas effectas esse immigratione immoderata. - Haec eius perceptio est – uno verbo: eius perceptio est perceptio spiritûs temporis; nulla rebellio fit, solum patefit quaedam impudentia. Spem amitto. - Quid tibi videtur, magister educationis peritissimus?

Medullitus te salutat et gratias tibi agit

Naevius

d.06. m.Ian.a.2023 h.00:38

Nicolaus Naevio s.

Rem gravissimam, mi care amice, tractas in epistulâ tuâ non solum ratione contemplativâ, sed ipsa experientiâ patris doctus dolorosâ. Cum magister adulescentes docuerim, haud ignoro eorum modos cogitandi ex colloquiis apparentes. Distinguendum est inter solitos mores pubescentium (quibus parentes interdum vehementer vexantur - bene memini quantis et qualibus ineptiis filius fratris uxoris meae parentes suos vexaverit - sed hodie idem vir adultus est filius maximè laudabiliter se gerens) et mores huius generationis iuvenum praesentis, qui efficiuntur novâ condicione speciali. Proximam occasionem nactus fusius de hac re tecum agam. Exspecta paulisper. In praesenti audio magnum colloquium *Valteri van Rossum* cum *Bhakdi* et *Pürner* et *Klößner*; si vacabis, suadeo tibi, ut audias. <https://www.rubikon.news/artikel/die-grenzen-der-verstandigung> - Haec hactenus brevissimè, mox, si volueris, certè plura. Patienter feramus iniqua; oportet mala distinguamus sanabilia ab insanabilibus. Sanabilia sanemus quam audacissimè atque prudentissime; insanabilia feramus quam patientissimè. Per aspera ad astra. Vale, mi care Naevi, et perfer tamquam Stoicus, fruire tamquam Epicureus. Medullitus te salutat **Nicolaus**.

d.07. m.Ian. a.2023 h.20:16

Naevius Nicolao s.

Gratias maximas tibi ago, etiam pro dono tuo (spectante ad septimanam mundanam Koeppelianam). - Spectavi audivique colloquium *Valteri van Rossum* cum *Bhakdi* et *Pürner* et *Klößner*; mihi placet, sed puto illos viros probos aspectum quendam non perspexisse. Video omnes sollicitari et commoveri praesertim cum rogentur, cur omnia haec fieri potuerint. Student invenire causas, student dare explicationes – etiam quaerunt, quomodo prohibere possint, ne inuria coronaria repetatur. Mea opinione negligunt anthropologiam – nam pars causae horum omnium est natura hominis:

Multi homines non cogitare possunt; multi non sapere audent, immo credere volunt. Pauci perspiciunt tales res horribiles et perspiciunt quomodo eadem fiant. Sed paucissimi non solum perspiciunt sed **etiam** furori (politico) resistunt. - Id problema humanum perenne est; quamobrem arbitror Germanos post bellum mundanum secundum non esse moribus melioribus quam antea. Etsi noverunt historiam suam, etsi iterum iterumque dicunt „numquam iterum fiat, numquam iterum fiet calamitas vel culpa nostra horribilis!“, se non gerunt melius in temporibus alicuius crisis. Tempore coronario signa totalitarismi ubique apparuerunt, ne dicam his verbis tritis „media in societate“ (*in der Mitte der Gesellschaft*); illam enumerationem tristem verborum horribilium bene scis: <https://ich-habe-mitgemacht.de/> Quaedam structurae spectantes ad naturam hominis et societates hominum solum lentissime mutari possunt. Commutatio illa postulat saecula. Tibi licet dicere me pessimistam, sed arbitror <me> rem acu tangere. **Vale semper VN**

d.07. m.Ian. a.2023 h.23:07

Nicolaus Naevio s.

Gratias plurimas, quod epistulam scripsisti bonis argumentis abundantem. - Spero te mox hebdomadale Koeppelianum accepturum esse; alioquin monebo domum editoriam. Per longius tempus hoc periodicum ferê semper accepimus nimis sêro; nam in Helvetiâ cum êdi soleat die Iovis, acceperamus saepius Lunae aut Martis demum die septimanae proximae; monitionibus scriptis semper statim acceperamus excusationem et gratuitum fasciculum additiciam. Dixerant retardationem fieri non in Helvetiâ, sed in Germaniâ. At ex duobus ferê mensibus missio fit paene semper iam die Veneris (post meridiem, non solito cursu publico, sed autoplaustro privatae negotiationis). - Colloquium illud *Rubiconis Rossumianum* mihi etiam visum est insigne participum affectu animorum peculiari. - Maximê me miseruit miseri *Pürneri*, viri sanê animâ candidâ praediti, sed a magistratibus tam dolorosê vexati et oppressi, ut semper timeat, ne verbis nimis claris factis (qualia sunt "*venenum*" et "*siphunculi homicidiales*" et nomen *Vilelmuli Portarii* vaccinatoris mundi, eqs.) odio sit magistratibus aliisque concivibus suis. Ipse se vexat rectitudine politicâ publicê hominibus inculcatâ. Quamquam miseret me eius, tamen puto reticentiâ atque ignoscentiâ praeproperê delinctoribus coronariis concessâ calamitatem potius augeri quam deminui necnon semper timendum esse, ne similis aut peior fiat miseria. Hominibus privatim nôtis, si paenitentiam agentes confitentur se iniuriam aliis intulisse, certê licet et oportet ignoscere; sed *Lauterbachiiis Spahniis Söderis Montgomeriis* ignoscere nefas sit! Si sceleratis ultro ignoscimus, irridemus eorum victimas! - Nec *Bakdhio* (qui etiam est animâ verê candidâ, et est cruce foederali meritoriâ dignissimus!) assentior dicenti solos praepositos industriae pharmaceuticae peccasse fraudantes, ceteros ipsos fraudatos a culpâ absolvendos esse. In hac re errat bonus buddhista; in scandalo coronae globali multa milia hominum culpam contraxerunt, etsi certê variâ gravitate. - Assentior tibi dicenti etiam nostrates imperio tertio finito nequaquam meliores factos esse. A gubernatione quia homines etiam etiamque terrentur periculorum annuntiatione (*Iosephus Krauss* dicit rem publicam

nostram iam esse "*phobocratiam*" factam), homines timore panico affecti petunt hircos emissarios. - Tamen noster cultus civilis humanusque nondum est in tantas abyssos delapsus, ut iuvenes nostri ruchetas iaculentur in biocolytas et siphonarios et nosocomos et servatores; quid dicam? Nostri quidem iuvenes nondum in tantam barbariam progressi sunt, ut extinctum iaculentur in arcerae sirenâ sonante vehementis vitrum antiaërium - ita factum est illa nocte silvestrianâ! - Sed - medius fidius! - qui furciferi talia scelera immania commiserunt? En quantum iam valet in nostrâ societate politicâ rectitudo! In "*Paginis deliberativis*" editor principalis (socialista scholae veteris, olim *Vilelmi Brandt* cooperatores praecipui) causam illius pandaemonii silvestriani Berolinensis investigans studet demonstrare iuvenes qui talia fecerint, televisorii publici cinematibus nimis crudelibus esse seductos et corruptos. Oh! quanta caecitas! Nonne cinematibus spectatis et vocibus delinctorum auditis nos omnes scimus plerosque barbaros silvestrianos non fuisse Germanos indigenas, sed migratores Orientis Propinqui, i.e. maximâ ex parte migratores arabico-islamicos? Ergo maximam culpam omnium contraxerunt gubernatio *Scholziana* et *Merkeliana*, quae limitibus apertis omnes asylum fraudulenter petentes immigrare siverit et sinat nullâ inspectione diligenti factâ. - En repeto parabolam vel allegoriam his diebus saepe iam allatam: Gubernatio et diurnarii nobiscum sedent in conclavi, cuius in medio magnus stat elephanta. Omnes vident hunc elephanta, sed nemo audet dicere eum adesse et cavendum esse, ne ista bestia irriteretur nosque omnes conculcet. Sed sunt interdum homines peculiari acumine mentis et fortitudine praediti, qui apertê pandant se videre elephanta! E.g. *Iulianus Reichelt* "*Imaginis*" olim redactor principalis, audet apertê eloqui chaotam noctem silvestrianae Berolinenses fuisse iuvenes arabico- et turcico-islamicos neque satis esse eosdem suaviter moneri, ut mores suos mutant, sed necessarium esse, ut tales furciferi castigentur poenis gravibus et tandem ut claudantur limites. ... - Ceterum lêgi in "*Paginis deliberativis*" novam symbolam *Oscarii Lafontaine*, qui scribit nepotem illius *Caroli DeGaulle* graviter vituperasse *Angelam Merkel*, quod Ucrainianam gubernationem fovisset miseros *Donbassianos* vexantem. Qui nepos Caroli monet, ut tandem indutiis factis disceptetur de pace faciendâ ... - Haec hactenus, mox, si volueris certê plura. De Benedicto XVI. Papâ "*emerito*" nonnulla scribo, etiam de eius "*Renuntiationis*" Latinae a.2013 factae. Cui insunt nonnulli lapsûs scribendi aut loquendi, qui a multis iam castigati sunt, e.g. a *Valafrido Stroh Monacensi*. Îdem Valafridus adversus merita sua quadam vanitatulâ commotus more *Nosoponi* Erasmiani papalior quam ipse Papa est eo, quod Benedictum corrigens in locum verborum Latinitatis ecclesiasticae supposuit verba Ciceroniana - quod mihi videtur potius opus esse Procrusteam quam artificiosum. - Similia fecit summo labore et peritiâ Latinê scribendi quidam *Schott* theologus, qui Latinitatem totius Vulgatae Bibliae corrigeret in sermonem Ciceronianum. - Cicero neque fuit Papa neque novit bibliam et ecclesiam... Finge animo nos orationem modernam redigere velle ad locutiones Goethianas - nonne hoc est i.q. Graeci rhetores dicebant *cacozelian*, i.e. imitationem servilem et ineptam auctoris classici et celebrati et exemplaris... Quid sentis? - Sufficiant haec in praesenti. Utinam cras degas tranquillum diem

Dominicum, utinam etiam tranquilletur anima filii tui.. Îdem etiamne credit grassatores silvestrianos ruchetiferos fuisse Germanos malis cinematibus televisoriis instigatos et efferatos? Filiusne tuus etiam credit non permittendum esse, ut homines apertê dicant plerosque chaotas illius noctis fuisse immigratores arabico- vel turcico-islamicos? - Vale semper. Mutabilia mutemus, immutabilia feramus patienter. Per aspera ad astra, dum spiramus speremus. - Medullitus N.

d.08. m.Ian. a.2023 h.16.19

Care Nicolae, gratias maximas tibi ago. - Assentior tibi subtilissime describenti animam Pürneriam; revera se vexat. Laboratne is *syndromâ*, quam psychologi dicunt *Holmiensem* („*Stockholmsyndrom*“), *i.e.* quodam amore erga homines eundem vexantes? Nescio, an venia solum pacis causa recta et aequa sit. - Ceterum, quaeso, excuses et corrigas menda mea. Denuo legens verba mea animadverti germanismum vel graecismum in sententia mea ultima. Ni fallor, rectum fuisset „Arbitror **me** rem acu tangere“, cum in lingua Graeca et Theodisca in talibus locutionibus accusativum omittere liceat. - Praeterea video te scribere de nocte **silvestriana**, non de nocte **silvestri**. Ingemens meae ignorantiae dicere debeo conversionem rectam semper rem summae subtilitatis esse. Etiam recte dicis cacozelian – imitationem servilem auctoris classici – esse signum generis scribendi mali, ne dicam pessimi. Medullitus te salutat **Naevius**.

GAIUS LICOPPE BELGA NESTOR ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE

d.4 m.Ian. a.2023 h.00:48

Nicolaus Gaio suo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

In annum MMXXIII, Gai carissime, exopto Tibi optima quaeque! Utinam Tu et Francisca novum annum faustis ominibus incohaveritis. Iamne Leoninam meam nataliciam (EL 267) et silvestrianam (EL 268) perlustrasti? De iisdem quid Tibi videtur? Scribas, quaeso, quidquid in buccam Tibi venerit. Pancraticê vale, amice optime, et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

d.08. m.Ian. a.2023 h.17:39

Gaius Nicolao optimo s.p.d.

Gratias ago pro votis benignis! Invicem Francisca egoque annum tibi exoptamus faustum et felicem. - Laboribus ut solet obrutus nondum singula perlegere potui, quae in novissimis Epistulis Leoninis divulgavisti. Tempus tamen inveni Paulo Kangiser respondendi de eis, quae in Leonina 266 professus est. Hanc epistulam tibi subiungo. Ipse etiam responsum mox missurus est, ut nuntiavit. **Cura ut valeas.**

d.08. m.Ian. a.2023 h.20:37

Nicolaus Gaio suo optimo sal.pl.dic.

Laeto animo accepi epistulam tuam, sodalis Nestor carissime! Valdê gaudeo, quod symbolâ Paulinâ attentê perlectâ responsonem scripsisti ex abundantîâ rationis et scientiae flagrantissimê compositam. Necnon grato animo accepi quod Pauli

persuasionem religiosam clementer respiciens in fine addis verba, quibus animos christifidelium consolaris affirmans neque praestantia testimonia neque tradita festa in oblivionem esse mittenda. Haec breviter, mox, si volueris, certê plura. Utinam annus vobis procedat feliciter. Medullitus te Franciscamque salutat **Nicolaus Groß Leo Latinus**.

MARCUS CRISTINI ITALUS BRIXIANUS

d.04. m.Ian. a.2023 a.2023 h.23:20

Nicolaus Marco Brixiano suo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Marce carissime, in novum annum optima quaeque tibi exopto! Spero te annum MMXXIII faustis ominibus incohavisse. Accepistine Leoninas meas: nataliciam (EL 267) et silvestrianam (EL 268)? De his aliisque scribas, quaeso, quidquid tibi in buccam venerit. Pancraticê vale et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

d.08. m.Ian. a.2023 h.17:30

Marcus Nicolao suo s.p.d.

Gratias tibi maximas ago, sodalis carissime, pro epistula proque votis perhumanis. Tibi quoque bonum annum 2023 precor, qui sit maxime pacificus, faustus, felix atque frugifer! Utramque Epistulam Leoninam grato animo accepi et raptim versavi, sed his diebus festis et negotia otiosa et otia negotiosa haud defuerunt, ergo epistulas tuas diligenter legere nondum potui. Perge autem Latinitatis cultores scriptis verbisque novis iisdemque Latinissimis ditare! - Quod ad haec attinet, nuper in bibliotheca inveni librum, c.t. Lexicon novorum vocabulorum quae e libellis Latinitatis his decem superioribus annis in vulgus editis excerpserunt *H. Tondini & Th. Mariucci*, Romae 1964. Pro certo habeo exemplar tibi iam praesto esse, sed fortasse liber ope lucis transcriptus tibi utilis erit in vocabulis expedite inveniendis. Cura, ut optime valeas.

d.08. m.Ian. a.2023 h.17:47

Nicolaus Brixiano suo sal.pl.

Summas gratias, mi care sodalis sagacissime, pro votis oblatis necnon pro opere mihi liberaliter donato, quod multum valet omnibus lexicographis neolatinis! Certê nôvi hoc opus inde ex diebus, quibus a Dryante imbutus sum Latinitate vivâ. Sed ut verum confitear, mihi non praesto cum esset hoc enchiridion, semper oportebat indirectê idem citare. Nunc mihi tandem licet ex ipso fonte haurire fideliter copiato. Gratias plurimas, haec raptim, plura, si volueris, proximam occasiunculam si nactus ero. Vale semper basilicê et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

VICTORIUS CIARROCCHI PISAURENSIS

d.04. m. Ian. a.2023 h.00:43

Nicolaus Victorio suo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

In annum MMXXIII, Victori carissime, exopto Tibi optima quaeque! Utinam novum annum faustis ominibus incohaberis. Iamne Leoninam meam nataliciam (EL 267) et silvestrianam (EL 268) perlustrasti? Vidistine me epistulam tuam ad Papam Benedictum spectantem Leoninae 268 inseruisse? De iisdem quid Tibi videtur? Scribas, quaeso, quidquid in buccam Tibi venerit. Pancraticê vale, amice optime, et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

d.04. m. Ian. a.2023 h.12:12

Victorius Nicolao optimo sal. plur. dicit.

Utique epistulam Leoninam (267 et 268), mi Nicolae, accepi gaudenterque legi. Summas gratias tibi ago pro photographemate, quod epistulae 268 comiter inseruisti. Tibi et indefesso labori tuo in annum novum omnia serena, fausta, frugifera exopto. **Optime semper valeas.**

PAVLVS KANGISER CHILIANUS IACOBOPOLITANUS

d.04. a.2023 h.15:50

Nicolaus Paulo suo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Paule carissime, in novum annum optima quaeque tibi exopto! Spero te annum MMXXIII faustis ominibus incohavisse. Accepistine Leoninas meas: nataliciam (EL 267) et silvestrianam (EL 268)? Nunc tibi commendo cinema in Hispaniâ confectum, quod spectat ad pandemiam ficticiam. Argumentum est dolorosum, sed gravissimum: Pro certo habeo interdum nos homines salutem non posse adipisci nisi dolorosê. In hâc cinemate multi scientistae variarum nationum interrogantur, quos disciplinae suae esse peritissimos pro certo habeo. Sed nullo modo mihi arrogo, ut tibi dicam, quonam modo de argumento iudices. Tu iudica, quaeso, ipse et quidquid tibi in buccam venerit, scribas mihi. Recordare verba libri Eliae: BUTYRUM ET MEL COMEDE, UT SCIAS REPROBARE MALUM ET ELIGERE BONUM. Haec hactenus, mox si volueris, plura. Utinam annus novus tibi procedat faustê feliciterque! Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

https://odysee.com/@thebigreset:1/20220831_TBR_ESP:1

THE BIG RESET MOVIE (ESP)

d.04. a.2023 h.22:40

Paulus Nicolao s.p.d.

Etiam tibi exopto annum novum faustum felicem. Accepi Epistulas Latinas 267 et 268 quas partim legi et legam. Pellicula cinematographica quam commendas certe videbo. **Cura ut optime valeas.**

URBANUS FERRARIUS BRASILIOPOLITANUS

d.04. m.Ian. a.2023 h.19:27

Nicolaus Urbano suo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Urbane carissime, in novum annum optima quaeque tibi exopto! Spero te annum MMXXIII - quamvis in temporibus tempestuosis - faustis ominibus incohavisse. Utinam res in patriâ tuâ et in meâ in meliores convertantur. Qualis nunc est status rerum Brasiliae generalis et tui specialis? Accepistine Leoninas meas: nataliciam (EL 267) et silvestrianam (EL 268)? De his aliisque scribas, quaeso, quidquid tibi in buccam venerit. Pancraticê vale et perge mihi favere. Medullitus te salutat

Nicolaus Leo Latinus

d.09. m.Ian. a.2023 h.21:40

Urbanus Leoni Latino salutem.

Primum, amice, ut par est, tibi tuisque illa exprimo vota ominaque, ut quam saluberrime, quam felicissime transigatis hunc annum modo cœptum. Deinde rogo, ut excuses tam longum tibi respondendi silentium. - Epistulas, et nataliciam et silvestrianam, recepi. - Ut scis, domicilium Brasiliopoli habeo. Unde, iam ab altero anni die, id est, IV Nonas Ianuarias, iter feci in Paraibam, provinciam Brasilianam in extrema orientali Americarum parte. Una cum parentibus autocineto peragravi chiliometrorum duo milia: iter duorum dierum integrorum, dierum tantum. Nam, sole occidente, deversoria petebamus. Non enim solemus tam longo itinere autocineto vehi tempore nocturno. Modo hospitio utimur cuiusdam patruî. Reditum constituimus ad XI Calendas Februarias. - De novo autem præside non possum non lamentari. Et ipse et singuli ministri, quos ille sibi elegit: omnes aut ex carcere educti sunt, aut non unam sed varias contra se habent criminales sententias, quæ transierunt in iudicatum. Quid boni sperandum est ex hac latronum caterva? Num, exempli gratia, sperare possumus, ut lapillus in lacum missus fluitet? Nonne statim ac mittetur, merget in aquam? Ita omnes isti iam mergunt in corruptionis mari. Et, dum rem publicam male administrantur, ope diurnariorum fictam ostendunt iuris, legis et utilitatis communis speciem. Nihilominus, ut dixisti, intra ipsa tempora tempestuosa, ne lamentationi incumbamus, sed ad meliores oportet aspiremus res. - Dedi Personopoli, Lunæ die, V Idus Ianuarias, anno Domini MMXXIII. **Urbanus**

d.09. m.Ian. a.2023 h.22:54

Leo Latinus Urbano suo sal.pl.

Suspensio animo, mi care Urbane, exspectavi nuntium tui; varia de patriâ tuâ legi et parum certa. Scilicet condolens intellegam condicionem tuam in praesenti esse difficilem; certê laboriosa necnon periculosa fuit exodus cum parentibus facta. Sed gaudeo te salvum esse et intimo ex corde tibi exopto, ut mox tibi liceat reverti meliore fortunâ usus. Fortasse tibi solacio sunt verba Augustini (eadem invenies in novissimâ Epistulâ Leoninâ, quam mox accipies): EXIRE INCIPIT QUI INCIPIT AMARE. Haec hactenus, mi amice carissime. Pollicem tibi premam utrumque. Haec

hactenus breviter, mox certê, si volueris, plura. Deus te tuosque tueatur! Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.



QUANDO FIET PANDYSELECTRIA?

Vigilate, quia nescitis diem, neque horam.

MATTHAEUS 25. 13.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandataelae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA– Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE –Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050 5A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060 5A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070 5A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIIUM	Karl Friedrich Kilmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	0030 6A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040 6A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90

27	0050 6A	978-3- 938905- 26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	0020 7A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**


**HANC EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM UNDESEPTUAGESIMAM**



SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE

PERFECIT

Die Martis, 10. m.Ian. a.MMXXII



**Dr. Nicolaus Groß
LEO LATINUS
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**